DE ORNAMENTIS TRIUMPHALIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
LIPSIENSI

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

SELMAR PEINE.
MAGDEBURGENSIS.

BEROLINI 1885.

Berliner Buchdruckerei, Actien-Gesellschaft, Setzerinnenschule des Lette-Vereins (Carl Janke).

VICTORI GARDTHAUSEN

SACRUM.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41545809_0168

In historiam triumphorum ovationumque inde ab antiquissimis temporibus ad imperatorum usque aetatem Romae actarum si quis paullo accuratius inquisiverit, hunc agrum quamvis non incultum diligentioris tamen curae egere perspiciet. Namque non pauci[1]) licet huic adhuc quaestioni operam navarint, tota materia tantum abest, ut pertractata sit, ut ne congesta quidem esse videatur. Quo munere pro meis viribus functurus cum imprimis de ornamentis triumphalibus cum historia triumphorum arte coniunctis non sine fructu disputatum iri in dies certius cognoscerem, hac quidem commentatione de ornamentis triumphalibus exponere satis habui triumphis in posterum reiectis.

---

[1]) Schieferdecker: de triumphis et ovationibus Romanorum (Lips. 1695). Nicolai: Romanorum triumphus solennissimus (Francof. a. M. 1696). Panvinius: de triumphis commentarius in Graev. thes. ant. Rom. IX (Lugd. Bat. 1698). Modius: de triumphis, ludis et spectaculis veterum in Gronov. thes. ant. Graec. XI (Lugd. Bat. 1701). Bulenger: ibidem. Ruperti: de Rom. triumphis (Jenae 1702). Elert: de ovatione (Hafniae 1770). — Recentioribus autem temporibus praeter ea, quae apud Langium: röm. Staatsalt. multis locis, Beckerum-Marquardtium: Handb. der röm. Alt. III, 2 (Leipzig 1853) p. 446—451 = Marquardt.: r. Staatsverw. II (Leipz. 1876) p. 561—571, apud Mommsenum: r. Staatsr. (Leipz. 1876²) p. 124—133. 615. II (1877²) p. 182. 255. 822. huc spectantia exstant, de causa triumphorum bene meruerunt Arminius Goell: de triumphi Romani origine, permissu, apparatu, via (Schleizae 1854); Reinius: Encycl. Pauly. VI, p. 2149 sqq. Henzenus: C. I. L. I, p. 453 sqq.; Stolzius: Triumph u. Ovation (Rostock 1874) quem tamen nonnulla iam a Goellio, cuius commentationem legisse non videtur, explorata fugerunt. Nuper Henricus Matzat: röm. Chronologie I (Berl. 1883) p. 165 167—169. 177—184. 188—190 primus, quod sciam, accuratius de triumphis fictis egit.

De ornamentis triumphalibus primus, quod sciam, ut omittamus Panvinium[1]) et Bulengerum[2]), Richterus[3]) disputationem nunc maxima ex parte obsoletam instituit. Imprimis autem commemoranda est opera Borghesii[4]); unde fluxerunt, quae leguntur in libro Beckeri-Marquardti[5]). Quibus si adiunxeris Reinium[6]), Goellium[7]), Langium[8]), Mommsenum[9]) ornamenta quoque triumphalia data occasione perstringentes neminem a nobis relictum spero.

---

[1]) Graev. thes. ant. Rom. IX, cap. VI.

[2]) Gronov. thes. ant. Graec. XI, cap. XIX.

[3]) de ornamentis triumphalibus (Lips. 1752).

[4]) „iscrizioni di Fuligno" in: Annali dell' inst. arch. 1846 p. 336—350 = opp. V, p. 25—39.

[5]) Handbuch III, 2 (1853) p. 452—454 = Marquardt: r. Staatsverw. II, p. 572—573.

[6]) Encycl. Pauly. VI, p. 2154.

[7]) l. l. p. 39—43.

[8]) l. l. I^3 p. 317.

[9]) r. Staatsr. I^2 p. 132 sq. 396 sq. 410 sqq. 422 sqq. 437. 449 sq. II^2 p. 822. Rabi „de ornamentis triumphalibus" (Progr. gymnas. Augustan. Vindelic. 1850) dissertationem errorum, quantum e Goellii commentatione elucet, plenam adipisci non potui.

PARTICULA PRIOR.

Cap. I.

De origine ornamentorum triumphalium.

Prioribus principatus annis Augustus triumphos si non legatis tamquam propriis auspiciis carentibus (cf. Vell. II, 115), at certe proconsulibus liberalissime concessit (Dio Cass. LIV, 12). Itaque in actis triumphorum Capitolinis (C. I. L. I, p. 461) post proelium Actiacum ad annum 19 a. Chr. septem triumphos a proconsulibus actos invenimus. Post triumphum a Cornelio Balbo a. 19 a. Chr. ex Africa ductum in actis Capitolinis triumphorum paullo post a. 12 a. Chr.[1]) exaratis neque ovationis neque triumphi ullius exstat vestigium, quia, quae sequitur, ovatio anno demum a. Chr. nono a Tiberio (Dio LV, 2) acta est. Agrippa enim, praepositus Hispaniae, triumphum a. 19 a. Chr. auctore Augusto ob devictos Cantabros decretum teste Dione LIV, 11. 12. repudiavit[2]) haud secus atque anno 14 a. Chr., cum seditionem Bosporanam oppressisset (Dio LIV, 24). Itaque omnes duces, quibus esset ius triumphandi, exemplum secuti Agrippae neque ad senatum de rebus gestis

---

[1]) Haec certa est Hirschfeldii coniectura (Hermes IX, (1875) p. 93 sqq. XI (1876) p. 154 sqq.), a Mommseno probata (Hermes IX, p. 267 sqq.).

[2]) idem iam a. 37 fecerat (Dio XLVIII, 49), hic quidem impune. Contra liberae reipublicae temporibus Cn. Fulvius Flaccus eundem honorem a senatu decretum repudiare ausus quaestione publica afflictus et exilio multatus est (Valer. Max. II, 8, 3). Triumpho enim Jovem coli memineris (Tac. Hist IV, 58). Ergo, qui triumphum spernit inanem ob causam, offendit deum.

rettulerunt neque triumphos decretos acceperunt. Certe vir ille modestissimus, familiaritate Augusti a puero usus omniumque eius consiliorum particeps, cum bene perspiceret imperatoris voluntatem, honorem sponte removisse putandus est[1]). Namque id egisse Augustum, ut summum triumphi honorem in suum suorumque usum occuparet, in aperto est.

Et profecto pristino reipublicae statu ab Augusto funditus converso triumphi spem concipere nemini licebat nisi Caesaribus ipsis, quippe qui soli summum imperium auspiciaque summa haberent. Quo factum est, ut triumphorum[2]) loco ducibus „ornamenta triumphalia“ decerni solerent eodem fere modo, quo saepius pro magistratibus ipsis ornamenta[3]) tantum quaestoria, praetoria, consularia tribuebantur. Agrippam autem primum a. 14 a. Chr. ornamentis triumphalibus honoratum esse Richterus[4]), Borghesius[5]), Goellius[6]) Dionis (LIV, 24) ex loco efficiunt, quam opinionem omnes viri docti excepto Mommseno[7]) probant. Novum illud genus honoris num quis iam a. 14 a. Chr. acceperit, inde perspici non potest, quamquam verba Dionis huic opinioni, si quid video, nequaquam obstant.[8])

---

[1]) cf. Goell. l. l. p. 40.

[2]) triumphos postea decretos (exceptis imperatoribus) composuit Mommsenus: r. Staatsr. I, p. 133 adnot., ubi Steupii certa coniectura de transposito loco in Taciti annalibus (Rh. Mus. XXIV, 1869, p. 72) usus non est. Meo quidem iudicio Mommsenus in eo fallitur, quod ovationem Druso a. 11 a. Chr. decretam secernit ab ovatione a. 9 a. Chr. ei praeparata ac morte prohibita eamque a. 10 a. Chr. iam actam esse Dionis loco (LIV, 36) elicit. Re vera a. 10 a. Chr. neque Drusus neque Tiberius, tribus triumphis a. 9. 7. a. Chr., 12 p. Chr. actis contentus teste Velleio II, 122), ovatione urbem ingressus est.

[3]) cf. Lange: r. Alt. I^3 p. 741. 791. 897. II^3, p. 380. 444. 679. III, p. 217. 335. 471. 540; Momms.: r. Staatsr. I, p. 439 sqq.

[4]) l. l. p. 8 sqq.

[5]) annali inst. arch. 1846, p. 336 = opp. V. 26.

[6]) l. l. p. 39.

[7]) r. Staatsr. I, p. 449. adn. 2.

[8]) v. infra p. 14.

Cap. II.

De nomine ornamentorum triumphalium.

„Triumphalia ornamenta“ vel „ornamenta triumphalia“ nomen huius decoris legitimum fuisse persuasum habeo. Observavi enim in inscriptionibus nihil inveniri nisi „ornamenta triumphalia“, „triumphalia ornamenta“. Accedit, quod Suetonius, ubi primum eorum mentionem inicit, (Octavian. 38) alioque loco (Tib. 9) ubi primum his honoribus ornatum memorat, ista voce utitur.

Inde etiam repetendum censeo, quod eadem saepissime a scriptoribus usurpatur. Legitur enim apud Suetonium praeter locos illos: Tib. 20. Claud. 1. 17 (bis). 24. Ner. 4. Galb. 8. Vespas. 4; apud Velleium: II, 104. 112. 115, 116, 2. 125; apud Tacitum: Agr. 40. 44.

Idem valent: „insignia triumphi“ apud Tacitum: ann. III, 48 72. IV, 44. 46. XI, 20. 21. XII, 38. XIII, 53;

„triumphalia“ apud Tacitum: ann. IV, 18. 26. 44. XI, 20. Hist. II, 78. IV, 4; apud Suetonium: Claud. 24; apud Vell. II, 116, 3; apud Plinium: Paneg. 89;

„decus triumphale“ apud Tacitum: ann. VI, 10. 39. XIII, 45. XV, 72;

„insignia triumphalia“ apud Tacitum: ann. I, 72. II, 52;

„insigne triumphalium“ apud Tacitum: ann. IV, 23. XII, 3;

„honos triumphalis“ apud Tacitum: ann. XII, 28;

„triumphale nomen“ apud Tacitum: hist. II, 77.

Ac quidem vox „triumphalis“ et in titulis et apud scriptores modo antecedit modo postponitur.[1]) Graeca lingua appellantur „ἐπινίκιοι τιμαί“: apud Dionem LIV, 24. 31. 33. 34. LV, 28 (bis). LX, 8. 20. 23. 31. LXVI, 20, semel in excerptis Valesianis sedis incertae.[2])

Uno loco, apud Dionem LVI, 17, „τιμαὶ νικητήριοι“ nominantur, uno, apud Dionem LX, 30, „τὰ ἐπινίκια“, qua voce aliis locis significatur triumphus (Dio LIV, 31).

---

[1]) falso iudicat A. W. Zumptius: commentationes epigr. II (Berol. 1854) p. 115.

[2]) v. edit. Dindorf. (Lips. 1865) vol. V, p. 238.

Cap. III.

De partibus ornamentorum triumphalium.

Jam si quaenam fuerint ornamenta triumphalia quaerimus, cavendum est, ne liberae reipublicae tempora cum temporibus imperatorum confundamus, ut contra Rabum Goellius[1]) recte docuisse videtur. Ante aetatem quidem imperatorum constabant ex iisdem fere, quae regiae potestatis fuerant insignibus, i. e. ex toga picta tunicaque palmata, quibus efficitur „vestis triumphalis“[2]), scipione eburneo[3]), sella curuli[4]), mulleis (Dio XLIII, 43. Fest. p. 143), „corona laurea aurea“ vel triumphali[5]) — corona laurea milites quoque triumphantium sese ornabant — quae cuncta, cum principes rem publicam tenerent, viris „ornamenta triumphalia“ adipiscentibus vix data esse praeter Goellium[6]) Mommsenus l. l. l. l. iure statuisse videtur. Ac ne in triumphis quidem imperatorum semper veste triumphali uti licebat viris ornamenta triumphalia adeptis ea videlicet de causa, quod principes honorem suum minui putabant, si quis eodem habitu ornatus ipsos sequeretur.[7]) Ex Suetonii enim loco (Claud. 17) discimus triumphantem Claudium qui secuti sunt triumphalibus ob expeditionem Britannicam decorati nequaquam usos esse veste triumphali, sed praetexta, praeter unum Crassum Frugi, qui in veste palmata incedebat singulari de causa.

---

1) l. l. p. 41.

2) v. Momms.: r. Str. I, p. 396 sq. Goell. l. l. p. 27 sqq.

3) v. Momms.: r. Str. I, p. 410. Goell. l. l. p. 29. 41.

4) v. Lange: r. Altert. I^3, p. 317.

5) v. Goell. l. l. p. 31. Mommsen.: r. Str. I. p. 412 cum adn. 1. 2, p. 422.

6) l. l. p. 41.

7) idem sentiunt Goellius l. l. p. 42. Mommsenus l. l. p. 397 adn. 1.

Cap. IV.

Quae inter ornamenta triumphalia statuasque intercedat ratio, exponitur.

Tradit Cassius Dio (LV, 10) a. 2 a. Chr., cum aedes Martis Ultoris in foro Augusti dedicaretur[1]), constitutum esse, ut, si cui triumphus aut ornamenta triumphalia decernerentur, eidem statua aenea in foro Augusti erigeretur. Namque hoc quidem Dionis loco verbis „τοὺς τὰς ἐπινικίους τιμὰς λαμβάνοντας ἐν τῇ ἀγορᾷ χαλκοῦς ἵστασθαι“ statuas in foro Augusti neque in foro Romano ponendas significari sententiarum nexus suadet. Quisquis igitur ante diem mensis Martii anni 2 a. Chr. duodecimum ornamenta triumphalia adeptus est, statua ei aenea in foro Augusti posita non obtigit. Inde autem ab hoc tempore, si quis accipiebat ornamenta triumphalia, simul adsecutus est hanc statuam, quae cum ornamentis adeo quasi coaluit, ut scriptores veteres ornamenta triumphalia alicui decreta esse significaturi statuae mentionem non faciant. Idem cadit in inscriptiones. Fuit igitur inde ab anno 2 a. Chr. statua aenea inter insignia triumphi.

Jam progrediamur ad locum Taciti (ann. IV, 23) gravissimum: „iamque tres laureatae in urbe statuae“ (L. Apronii, Furii Camilli, Junii Blaesi) „et adhuc raptabat Africam Tacfarinas“. Animadvertas a Tacito locis antecedentibus[2]) nihil prodi nisi ornamenta triumphalia decreta esse Apronio (ann. I, 72), Camillo (ib. II, 52), Blaeso (ib. III, 72), quamquam eosdem tum statuis laureatis honoratos esse eiusdem loco (IV, 23) evincitur. Inde, quisquis acceperit ornamenta triumphalia, simul „statuam laureatam in urbe“ adeptum esse haud cunctanter concludimus. Nam, nisi semper statua laureata simul cum ornamentis triumphalibus decreta esset, Tacitus locis illis (ann. I, 72. II, 52. III, 72) debebat scribere: „insignia triumphalia et statua laureata“.

Itaque, cum teste Dione (LV, 10) omnes ei, qui ornamentis

---

[1]) cf. Vell. II, 100. Mommsen. ad C. I. L. I, p. 393, res. gest. divi Augusti (edit. II Berol. 1883) p. 88.

[2]) vide infra part. II, c. II.

triumphalibus honorati sunt, statuam aeneam in foro Augusti sint adsecuti, „statuam laureatam in urbe“, eandem esse arbitror atque „aeneam in foro Augusti“. Quare Taciti loco (Agr. 40): „triumphalia ornamenta et illustris statuae honorem et quidquid pro triumpho datur multo verborum honore cumulata decerni in senatu“ (sc. Agricolae Domitianus) „iubet“ statuam illustrem non aeneam illam in foro Augusti, id quod sibi persuasit Urlichsius[1]), sed quamvis aliam intellegendam esse equidem crediderim. Itemque statua Cornelio Palmae auctore Traiano in foro Augusti posita (C. I. L. VI, 1386)[2]) et statua, quam senatum auctore Traiano Licinio Surae pecunia publica ponendam censuisse inscriptio (C. I. L. VI, 1444)[3]) docet, ab aeneis statuis in foro Augusti viris triumphalibus positis distinguendae sunt, quae si eaedem fuissent, de ipsa statua tacendum erat. Plures autem statuas eidem homini senatus decretis positas esse satis multa docent exempla, uti titulus M. Bassaei Rufi (C. I. L. VI, 1599), Vitrasii Pollionis (C. I. L. VI, 1540), Cocceius Nerva et Sofonius Tigellinus (Tac. ann. XV, 72).

Fortasse „statua in foro Augusti“ in Palmae titulo commemorata eadem est atque cuius Dio (ep. LXVIII, 16) mentionem inicit his verbis: „ἔστησε“ (sc. Traianus) „καὶ τοῦ Σοσίου τοῦ τε Πάλμου καὶ τοῦ Κέλσου εἰκόνας“, triumphalis[4]) haud dubie non est. Itemque statuam, quae in titulo Surae legitur, eandem esse ac quae post mortem teste Dione LXVIII, 15 ei decreta est conie cerim. Sed, utut haec res se habet, triumphalis non est, quae si fuisset, vox triumphalis sine dubio addita esset.

Illam autem laureatam, quam a corona laurea inter triumphi insignia tributa nomen traxisse omnes habet probabilitatis numeros, discernendam censeo a statua triumphali quattuor de causis:

primum Tacitum Ann. IV, 23 non voce „triumphalis“, quae

---

[1]) de vita et honoribus Julii Agricolae (Wirceburgi 1868) p. 31.

[2]) vide infra part. II c. VII § 2.

[3]) v. infra part. II c. VII § 1. Eadem haud dubie est ac quae in eiusdem titulo Hispaniensi (C. I. L. II, 4508) commemoratur.

[4]) v. infra p. 10.

invenitur ceteris locis (Ann. XV, 72. Hist. I, 79. Plin. ep. II, 7), uti, sed „laureata“ tenendum est;

deinde laureatas statuas aeneas fuisse memineris, triumphales autem teste Plinio (n. h. XXXIII, 9, § 131) ex argento picto conficiebantur, quod Romanos exemplum secutos Aegyptiorum ita instituisse describit Plinius, ut miscerentur argento tertiae aeris Cypri tenuissimi, quod coronarium vocant, et sulphuris vivi quantum argenti. An putamus statuam mixtam a Dione neglegenter dictam esse aeneam.

tum laureatas statuas in foro Augusti positas esse ex Dione, triumphales in foro Romano fuisse discimus uno, quod sciam, loco Taciti (Ann. XV, 72) ubi Cocceio Nervae et Sofonio Tigellino „super triumphales in foro imagines“ effigiem eorum in Palatio erectam esse prodit, nisi forte quis existimat illud „in foro“ idem valere, quod „in foro Augusti“, quia nemo Romanus statuas triumphales in foro Augusti fuisse ignoraverit;

denique laureata pars fuit ornamentorum triumphalium necessaria, contra triumphalis raro tantum privatis decernebatur, ut Draegerus cognovit ad Tacit. Agr. c. 40 adnotans: die Triumphalstatue wurde nicht immer decretirt.[1])

Atque ea quidem tum simul cum ornamentis triumphalibus non tamquam ipsorum triumphalium pars necessaria, sed corollarium quasi honoris decernebatur, ut docet locus Taciti (Ann. XV, 72) tum post decreta ornamenta triumphalia, si idem de re nescio qua bene meruerat iterum, id quod evincitur duobus locis:

primum Tacitus (Hist. I, 79) sub Othone imperatore M. Aponium ob Rhoxolanos devictos statua triumphali donatum esse tradit;

deinde Plinius (ep. II, 7) non dicit nisi de statua triumphali a senatu auctore principe decreta Vestricio Spurinnae ob res in Germania bene gestas. Quodsi his duobus locis, ubi de sola statua triumphali sermo est, de ornamentis triumphalibus cogitabant viri

---

[1]) cf. Lange: röm. Alt. II^3, p. 431: in Analogie des Rechtes, den Triumph zu bewilligen, bewilligte der Senat auch die als Entschädigung für Private aufgekommenen insignia triumphalia, auch wohl eine statua triumphalis. (statt der ins. tr.)

docti Borghesium[1]) secuti, in errorem incidisse mihi videntur. Etenim, cum reliquis locis omnibus scriptores ornamenta triumphalia alicui decreta esse significaturi uno ex verbis supra[2]) compositis utantur, animum inducere non possum, ut credam statuam triumphalem, quam triumphalium partem falso putant, quamvis honestissimam pro ornamentis triumphalibus dictam esse. Immo et Aponio et Spurinnae primum ornamenta triumphalia nescio quam ob causam, postea cum denuo virtutem probassent, statuam utrique triumphalem decreta esse statuo. Ornamenta autem triumphalia antea Aponio et Spurinnae tributa esse nec Tacitus, qui hoc de Aponio in „annalium" parte extrema, quae non iam exstat, sine dubio tradidit, nec Plinius repetit. Nimirum, quisquis acciperet statuam triumphalem, qua habitu triumphali[3]) fingebatur haud dubie, ei ornamenta triumphalia decreta iam esse nemo Romanus non sciebat. An vero fieri potuit, ut quisquam triumphalibus indutus statua triumphali posteris tamquam traderetur, cui nunquam neque triumphus neque ornamenta triumphalia decreta essent? Non credo.

Denique apud Dionem (LXVIII, 16) Borghesius[4]) statuas triumphales Sosio, Palmae, Celso decretas intellegi ideoque ornamenta triumphalia ibi substituenda esse vult. At statuas triumphales intellegendas esse neque Dio tradit neque eo efficitur, quod Palmae ornamenta triumphalia decreta esse titulus eius docet. Neque enim statua triumphalis obtigit omnibus eis, qui ornamentis honorati sunt. Itaque statua a Dione commemorata eadem mihi videtur esse ac cuius mentionem facit Palmae titulus, quae nec laureata[5]) nec triumphalis fuit. Sed hic pedem sistamus. Quae enim de statua triumphali disputavimus, sufficere nobis videntur, quibus

---

[1]) Annali inst. arch. 1846 p. 340 = opp. V, 29—31, Marquardt: r. Staatsverw. II, p. 572 adn. 14, 573 adn. 2. Mommsen: ind. Plin. p. 429.

[2]) capite II. p. 5.

[3]) ea certe de causa argento picto utebantur.

[4]) Ann. inst. arch. 1846 p. 341 = opp. V, 31 cf. Marquardt: r. Staatsverw. p. 573 adn. 2.

[5]) v. supra p. 8.

cognoscatur, quantum sibi sumpserint viri docti[1]) hanc ornamentorum triumphalium partem necessariam fuisse rati.

Cap. V.

Quo auctore ornamenta triumphalia decreta sint.

Jam ad aliam accedamus quaestionem a viris doctis nondum excussam. Perlustrantibus enim inscriptiones ad ornamenta triumphalia pertinentes tres nobis occurrunt, quod ad scripturam attinet, certae — sunt autem tituli P. Sulpicii Quirinii (Mommsen. res g. d. Aug. p. 177)[2]), M. Plautii Silvani (Wilmanns. exempl. 1121)[3]) M. Coccei Nervae (Wilm. ex. 929)[4]) —, quibus ornamenta triumphalia decreta esse invenimus neque additum legimus „auctore imperatore". Contra in quinque certae lectionis inscriptionibus — sunt tituli Ti. Plautii Silvani (Wilm. ex. 1145)[5]), Cn. Pinarii (Wilm. ex. 1142[6]) ubi restitutio est certissima), Licinii Surae (C. I. L. VI, 1444)[7]), Cornelii Palmae (C. I. L. VI, 1386)[8]), Minicii Severi (C. I. L. III, 2830)[9]) ornamenta triumphalia a senatu esse decreta videmus „auctore imperatore". Accedunt tres inscriptiones — prima viri ignoti (C. I. L. IX, 2847)[10]), altera eiusdem Surae (C. I. L. II, 4508)[11]), tertia Haterii Nepotis (Wilm. ex. 1249 a.)[12]), quas in

[1]) Richter l. l. p. 17. Becker-Marq. III, 2 p. 452. Wex ad Tac. Agr. 40 (ed. Brunsvig. 1852). Ad. Philippi: die röm. Triumphalreliefe und ihre Stellung in der Kunstgesch. (Abh. der kgl. sächs. Ges. d. Wiss. 1872 phil.-hist. Cl. VI No. III) p. 299 init.

[2]) v. infra part. II c. I §. 4.

[3]) v. part. II, c. I § 10, 5.

[4]) v. part. II, c. IV § 1, 2.

[5]) v. part. II, c. V § 3.

[6]) v. ib. § 4.

[7]) v. part. II, c. VII § 1.

[8]) v. ib. § 2.

[9]) v. ib. § 4.

[10]) v. part. II, c. III § 9.

[11]) v. part. II, c. VII § 1.

[12]) v. ib. § 3.

hac quaestione omittere praestat, cum verba „auctore imperatore" etc., etsi hodie non exstant, incisa olim fuisse possint. Praeterea procul arcendas esse inscriptiones L. Junii Silani et Nervae in loco[1]) explanabo.

Septem autem titulis ad quaestionem nostram dirimendam idoneis adducor, ut ornamenta triumphalia, quae sicut triumphos nisi a senatu non decreta esse constat[2]), non semper decreta putem auctore imperatore ita, ut pro fastigio quasi honoris haberetur, cum ipse imperator senatus consulti exstitisset auctor. Ea enim, de quibus agitur, verba, si cui auctore imperatore triumphalia erant decreta neque eiusdem principis memoria damnata erat, in universum titulo inserenda fuisse nemo, opinor, titulorum peritus negabit, cum praesertim maiori laudi esset ei, cuius gloria inscriptione ad posteros propagetur. Ceterum senatum, si cui triumphalia decernere vellet, nisi explorata imperatoris voluntate non crediderim decrevisse. Dixerit quispiam fieri non posse, quin inscriptiones septem illas sano iudicio contemplantibus ultro sese obtrudat diversa condicio temporum. Nam, cum in titulis antiquioribus „auctore imperatore" non legatur, legatur in titulis a Vespasiani principatu incisis, nonne sequi videtur, ut, cum triumphalia decreta illa quidem non sint nisi auctore imperatore, verba haece superioribus temporibus ut supervacanea omissa, posterioribus in inscriptiones recepta sint? Quae tribus potissimum de causis concidit opinio:

primum ne Tiberium quidem imperatorem semper auctorem exstitisse concludo ex Taciti loco (Ann. II, 52): . . . Tiberius res gestas (sc. M. Furii Camilli) apud senatum celebravit et decrevere patres triumphalia insignia, „quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit";

deinde verba „auctore imperatore Caesare Vespasiano Augusto" in titulo Tampii Flaviani (C. I. L. X, 6225)[3]) neque leguntur neque unquam, si quid omnino video, ob lapidis angustias incisa fuisse possunt;

[1]) v. part. II, c. III § 3, c. IV § 1, 2.

[2]) cf. Lange: r. Staatsalt. II^3 p. 431. Mommsen: r. Staatsr. I, p. 450.

[3]) vide part. II, c. V § 2.

tum planis Tacitus verbis triumphalia Licinio Muciano decreta esse testatur auctore Valerio Asiatico, consule designato[1]);

verba denique supervacanea antiquioribus temporibus addita, posterioribus omissa esse per se multo verisimilius mihi videtur. Itemque Taciti ille locus et Flaviani titulus impediunt, quominus ornamenta triumphalia inde a Vespasiani principatu nisi auctore imperatore decreta non esse putemus.[2]) Ergo casui tribuendum est, quod eae ipsae inscriptiones ad Augusti principatum pertinentes exstant, quibus nil aliud nisi triumphalia ornamenta a senatu decreta legimus. Jam apparet, opinor, falsum esse, si quis haece verba in titulis omissa neglegentiae quadratarii aut inscientiae peregrinorum imputare velit.

Post Vespasianum num solus auctor exstiterit imperator, in tanta testimoniorum penuria iudicari nequit. Auctore imperatore quis adsecutus sit honorem, suo loco enucleare conabimur.

Cap. VI.
De ornamentis triumphalibus atque ovatione.

Non adsentimur nos quidem Mommseno[3]), qui, si recte intellego, ornamenta triumphalia initio non decreta esse nisi cum ovatione putare videtur, cum scribit fere haec: in den J. 742 und 743 wurden den beiden Brüdern Drusus u. Tiberius die Triumphalornamente bewilligt. Damals wurden sie wenigstens für Drusus mit der Ovation zugleich decretirt, später traten sie ganz selbständig auf. Drusus sane triumphalia atque ovationem a. 11 a. Chr.

---

[1]) Tacitus enim (Hist. IV, 4), postquam triumphalia Muciano, consularia insignia Primo Antonio, praetoria Cornelio Fusco et Arrio Vario decreta esse ac placuisse Capitolium restitui narravit, statim addit: eaque omnia Valerius Asiaticus censuit.

[2]) Mommsenus: r. Staatsr. II², p. 822 cum adnot. 4 posterioribus temporibus, fortasse a Vespasiani aetate semper auctore imperatore decreta ea esse haud recte conicit repudiata ea, quam antea protulit sententia (ib. I², p. 450).

[3]) r. Staatsr. I, p. 449 adn. 2.

meruit (Dio LIV, 33. Suet. Claud. 1), hoc unum constat Tiberio iam anno antecedenti triumphalia sine ovatione decreta esse.[1]) Accedit, quod Dio (LIV, 24) post a. 14 a. Chr. ducibus pro triumphis triumphalia ornamenta data esse planis verbis tradit.

Cap. VII.

Quis primus ornamenta triumphalia acceperit.

Tiberius utrum primus triumphalia adeptus sit necne, ne veteres quidem scriptores consensisse videntur. Legitur enim apud Suetonium (Tib. 9): „quas ob res (sc. Tiberius) et ovans et curru urbem ingressus est, prius[2]), ut quidam putant, triumphalibus ornamentis honoratus, novo nec antea cuiquam tributo genere honoris." Dio ille quidem (LIV, 31), ubi de ornamentis triumphalibus Tiberio tributis agit, primum illa accepisse Tiberium non addit neque quicquam Velleius, eius laudator, hac de re affert. Praeterea observandum est ornamenta triumphalia, cum triumphos ipsos Augustus sibi suisque reservaret, reliquis ducibus esse destinata (Dio LIV, 24: τῶν ὁμοίων αὐτῷ etc.) quam ob rem mirum esset, si Tiberius primus ea accepisset.[3]) Ovatione, ut hoc statim addam, ob Dalmatos Pannoniosque victos, a. 11 a. Chr. decreta (Dio LIV, 34), Tiberius urbem ingressus est a. 9 a. Chr. (Dio LV, 2. Vell. II, 122), triumphum de Germanis a. 8 a. Chr. decretum (Dio LV, 6) egit a. 7 a. Chr. (Dio LV, 8).

---

[1]) v. infra part. II c. I § 1. p. 15 sq.

[2]) cf. adnotationes Bremii in Suetonii editione (Zürich 1820) et Stahrii in versione (Stuttg. 1857), Burmanni in editione (Amsteldam. 1736), Wolfii in editione (Lips. 1802) ad. l. l.

[3]) Mommsenus: r. Staatsr. I, p. 449 adn. 2 Suetonii loco Tiberium triumphalia primum accepisse concludit.

PARTICULA POSTERIOR.

Altera hac commentatiunculae parte, quae sit sub singulis imperatoribus in decernendis ornamentis triumphalibus adhibita ratio, exploraturus eum disputandi ordinem instituam, ut quo quisque tempore, qua de causa, quo auctore acceperit ornamenta quaeram. Denique, quia saepius, quemnam scriptores veteres intellegi velint, dubitandum erit, haud inanem me consumpturum operam spero in componendis eis, quae de hominibus minus notis indagare potui, praesertim cum virorum hic tractandorum vitae aut scriptae non sint[1]) aut, si quae virorum doctorum[2]) curam nacta est, magna ex parte studiorum recentiorum fructibus atque aucta inscriptionum copia obsoleverint. Testimonia consulatuum gestorum adferre in universum supersedebimus, quoniam haec in Kleinii libro egregio[3]) accurate composita facile invenies.

Cap.. I.

De ornamentis triumphalibus sub Augusto decretis.

§ 1. Tiberius a. 12 a. Chr. Pannonios, qui Agrippa defuncto ad bellum consurrexerant, domuit. Propterea senatus Tiberio triumphum decrevit, quem ut duceret Augustus non permisit triumphalibus eum insignibus exornans (Dio LIV, 31).[4])

---

[1]) Kleinii operis, quod inscribitur: die Verwaltungsbeamten der Provinzen des römischen Reichs bis auf Diocletian prima primi voluminis pars ad Siciliam Sardiniamque pertinens sola adhuc prodiit (Bonn 1878).

[2]) uti in Paulyi opere, quod inscribitur: Real-Encyclopädie der class. Altertumswissenschaft.

[3]) fasti consulares inde a Caesaris nece usque ad imperium Diocletiani (Lips. 1881). cf. Bursian Jahresber. f. 1882 vol. 32 p. 262.

[4]) ἡ μὲν βουλὴ τά γε ἐπινίκια ἐψηφίσατο, ὁ δ'Αὔγουστος ταῦτα μὲν οὐκ ἐπέτρεψεν ἑορτάσαι, τὰς δὲ τιμὰς τὰς ἐπινικίους ἀντέδωκε cf. Suet. Tib. 9.

Res igitur ita se habet: senatus, cum Augustus pro triumpho decreto ut triumphalia ei decernerentur proposuisset, principis voluntati obsecutus est. Videntur igitur Tiberio decreta esse auctore imperatore.

Jam vero haud scio, an iterum hic honos Tiberio contigerit. Dio (LIV, 34) enim narrat Tiberium — propter Dalmatas et Pannonios subactos — a. 11 a. Chr. eosdem[1]) honores adsecutum esse ac Drusum. Itaque, cum Druso testibus Dione (LIV, 33) et Suetonio (Claud. 1) praeter ornamenta triumphalia ut ovans urbem ingrederetur decretum sit, nonne cogimur statuere Tiberium praeter ceteros honores a. 11 a. Chr. iterum ornamenta triumphalia adeptum esse? Nempe ut plures triumphos ab eodem actos esse satis multa exempla docent, ita ornamenta etiam triumphalia pluries[2]) eidem homini decreta esse quid est cur miremur?

Tiberius tum fuit legatus Augusti[3]) (Monum. Ancyr. 5, 44) consulatu a. 13 a. Chr. functus erat.

§ 2. Jam Drusus, pater Claudii imperatoris, ob res in Germania bene gestas (Liv. ep. CXXXVIII) ovandi[4]) ius et ornamenta triumphalia a. 11 a. Chr. accepit (Suet. Claud. 1. Dio LIV, 33), legatus Augusti, nisi fallor. Consulatum[5]) nondum gesserat, sed honoribus praetoriis a. 15 a. Chr. acceptis (Dio LIV, 22) a. 11 a. Chr. aedilis (Dio LIV, 32) creatus est.

§ 3. L. Pisoni[6]) pontifici[7]) anno eodem 11 a. Chr. praeter supplicationem ornamenta triumphalia ob Vologaesen, Thracum ducem, superatum (Liv. ep. CXXXVIII, cf. Flor. II, 27) decreta sunt (Dio LIV, 34. Tac. ann. VI, 10) ibique teste Velleio (II, 98) legati Caesaris munere fungens triennio cum iis bellavit, annis

---

[1]) ὥστε καὶ τῶν ἄθλων τῶν αὐτῶν τῷ Δρούσῳ τυχεῖν.

[2]) vide infra part. II, c. III § 3.

[3]) cf Mommsen res g. d. Aug. p. 129.

[4]) hanc ovationem iam praeparatam ne duceret, a. 9 a. Chr. praematura mors prohibuit (Dio LV, 2).

[5]) consul fuit a. 9 a. Chr.

[6]) cf. Borghes. opp. III, p. 318. 323. V. p. 312. VI, 11.

[7]) pontifex appellatur in actis fr. Arv. anni 14 p. Chr. (Henzen act. fr. Arv. p. XXIX).

scilicet 13—11 a. Chr., et Macedoniae a Thracibus vexatae pacem reddidit. Fuit filius hic L. Calpurnius Piso Frugi Calpurnii Pisonis Caesonini, consulis a. 58, censoris a. 50, soceri Julii Caesaris. Consulatu a. 15 a. Chr. functus praefuit, ut mihi quidem videtur, Illyrico[1]) (Dio LIV, 34), unde in Thraciam ad bellum illud gerendum proficisci iussus est. Inde ab a. 17 p Chr.[2]) ad mortem usque post Taurum Statilium quindecim per annos praefectus urbi potestatem recens continuam mire temperavit (Tac. ann. VI, 10. 11). Octogesimo aetatis anno a. 32 p. Chr. mortuus publico funere ex decreto senatus celebratus est (Dio LVIII, 19. Tac. l. l.). Fertur fuisse vinosus (Suet. Tib. 42. Sen. ep. 83, 12), sapiens neque servilis (Tac. l. l.). Ad hunc Pisonem eiusque filium M. Licinium Crassum Frugi[3]), consulem anni 27 p. Chr., referenda videtur inscriptio duplex Atheniensis ob benevolentiam eorum erga Athenienses facta (C. I. Att. III, 607. 608. Mommsen: eph. epigr. I, 143 sqq.).

§ 4. Sequitur P. **Sulpicius Quirinius** ob expugnata Homonadensium castella insignia triumphi adeptus teste Tacito

---

[1]) in tradita lectione „ἐκ Παμφυλίας ἧς ἦρχε“ primus Zumptius (comm. epigr. II, p. 255) offendit atque „ἐκ Μυσίας“ proposuit. cf. G. Zippel: die röm. Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus (Lips. 1877) p. 246. Contra Mommsenus (res gest. d. Aug. p. 165 adn. 1) neque Moesiae, quippe quae postea demum provincia facta esse videatur, neque Syriae, cuius partem pro toto a Dione nominari Marquardtius (r. Staatsverw. I, p. 417) opinatur, Pisonem praefuisse, recte statuere videtur, sed Illyrico.

[2]) inde ab a. 17 praefectus urb. fuit secundum ea, quae docuit Henr. Violet (der Gebrauch der Zahlwörter in Zeitbestimmungen bei Tacitus, Leipz. 1882) de usu numeralium cardinalium cum praepositione „per“ coniunctorum, p. 202 sqq. XV pro tradito numero XX Ernestius (ad Suet. Tib. 42) legendum iure censuit, quam emendationem Borghesius (opp. III, p. 323 sqq.). Nipperdeius (ad T. A. VI, 11) satis defenderunt coll. Suet. Tib. 42. Plin. n. h. XIV, 22, 145. Sen. ep. XII, 84. Tac. ann. I, 7. Artificiosius iudicat Mommsenus (r. Staatsr. II, p. 1014 adn. 2.

[3]) vide de hoc infra part. II, c. III § 2, 3.

(ann. III, 48), qui locus confirmatur fragmento inscriptionis[1]) in hanc formam a Mommseno probabiliter restitutae:

Mommsen: res gest. d. Aug. p. 177. Tibure.

P. Sulpicius. P. f. Quirinius cos. | . . . | pr. pro consul Cretam et Cyrenas provinciam optinuit | . . . . | legatus pr. pr. divi Augusti Syriam et Phoenicen optinens | bellum gessit cum gente Homonaden|sium quae interfecerat Amyntam | rEGEM. QUA. REDACTA. IN. POTestatem Imp. Caesaris | AUGUSTI. POPULIQUE. ROMANI. SENATUs dis immortalibus | SUPPLICATIONES. BINAS. OB. RES. PROSPere ab eo gestas et IPSI. ORNAMENTA. TRIUMPHalia decrevit | PRO. CONSUL. ASIAM. PROVINCIAM. OPtinuit legatus pr. pr. | DIVI. AUGUSTI iTERUM. SYRIAM. ET. PHoenicen optinuit |

Legatus igitur Augusti pr. pr. Syriae et Phoenices primum a. 3—2 a. Chr.[2]) Homonadensibus in Pisidia victis (Strab. XII, 6, 5 p. 569) ornamenta triumphalia adeptus est, quamquam non accepit auctore imperatore, ut tituli silentio evincitur. Ceterum de eius vita haec proferenda mihi videntur: ortus in municipio Lanuvino nihil ad veterem et patriciam Sulpiciorum familiam pertinuit, sed ex praetura post legitimum quinquennium Cretam et Cyrenas pro consule administravit, ut probabiliter docuit Mommsenus[3]) ex Floro (II, 31) et Jordane (Rom. 248) Marmaridas et Garamantes subegisse Quirinium referentibus. Itaque impiger militiae consulatum a. 12 a. Chr. adsecutus est (Tac. ann. III, 48).

Post Syriam et Phoenicen primum administratas pro consule

---

[1]) nam, quae in hoc titulo referantur, ad unum P. Sulpicium Quirinium convenire post Sanclementium (de vulgaris aerae emendatione, Rom. 1793) cum Borghesius, Henzenus, Nipperdeius tum Mommsenus (res gest. d. Aug. p. 161 sqq.) praesertim ex legatione Syriae bis gesta optime demonstravit. Conferas Zumptium (comm. epigr., Berol. 1854 II, 71 sqq.) titulum ad C. Sentium Saturninum perperam referentem.

[2]) Syriae primum Quirinius a. 3—2 a. Chr. praefuit quippe quorum annorum, nimirum post consulatum a. 12 gestum, legati noti non sint, cum legatorum omnium nomina annis antecedentibus et subsequentibus Syriae praefectorum exstent.

[3]) l. l. p. 170 sq.

Asiam obtinuit annis, ut videtur, 2—5 p. Chr. (Momms. l. l. p. 172 sqq. cf. Waddington fastes des provinces Asiatiques (Berl. 1872, No. 57. 58. 61) et Tiberium Rhodi degentem ea occasione videtur coluisse (Tac. ann. III, 48). A. 3. p. Chr. rectoris loco cum C. Caesare in Armenia fuit (ibid.), ex anno 6 p. Chr.[1]) iterum Syriae et Phoenicae praefuit (Joseph. XVII, 13, 5. XVIII, 1, 1. 2, 1) eoque anno censum egit Syriae, quem perperam Lucas (ev. II, 1) ad totum Augusti imperium extendit et ad legationem Quirinii priorem rettulisse videtur. Eiusdem legati iussu Q. Aemilius Secundus, ut titulus Venetus vel potius Berytensis nuper a Mommseno[2]) vindicatus docet, censum egit Apamenae civitatis et castellum Ituraeorum in Libano monte cepit. A. 16 p. Chr. Romae versabatur eique M. Drusus Libo extremas preces ad principem mandavit (Tac. ann. II, 30), a. 20 interfuit accusationi Lepidae, quam circa a. 2—4 in matrimonium ductam paullo post repudiaverat. (Tac. ann. III, 22. cum adnotatione 5 Nipperdei. 23. Suet. Tib. 49). Vita decessit Quirinius a. 21 (Tac. ann. III, 48) dives atque orbus (ib. 22) et auctore Tiberio publice elatus est.

§ 5. Jam L. Domitius Ahenobarbus,[3]) consul a. 16 a. Chr., ornamenta triumphalia adeptus est, quod exercitu flumen Albim transire ausus erat (Tac. ann. IV, 44. Suet. Ner. 4). Quo tempore decus meruerit, concludi potest, ut iam Nipperdeius (ad Tac. l. l.) perspexit, ex loco Dionis (LV, 10 a), ubi sub anno 1 a. Chr. prodit Domitium antea, cum regionum, quae ad Istrum sunt, imperium teneret, et Hermunduros aliam sibi terram quaerentes in parte Marcomanniae collocasse et Albim nullo obsistente traiecisse amicitiaque cum barbaris illis iuncta aram Augusto ibi posuisse.

---

[1]) quamdiu Syriae tum praefuerit, non constat. Ab anno 10 certe Syriam obtinuit Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus (Momms. res g. p. 166, 8).

[2]) eph. ep. IV, p. 537 sqq. res gest. p. 166, 7. cf. Zumpt l. l. I, p. 105 sqq.

[3]) ex inscriptione (C. I. L. VIII, 68) discimus eum fuisse nepotem L. Domitii. cf. indicem Dionis libr. 54 et Kleinium.

Inde sequitur, ut, cum expeditio illa Germanica inter a. 12 a. Chr., quo Africam pro consule administraverit[1]), et a. 1 a. Chr. facta sit[2]), inter annos 12 et 1 a. Chr. triumphalia acceperit.

A. 1 a. Chr. ad Rhenum minus prospere res ei ceciderunt (Dio LV, 10 a.). Ceterum haec de L. Domitio innotuerunt: filius Cn. Domitii Ahenobarbi rebus bello civili gestis celebrati (Tac. ann. IV, 44. Suet. Ner 3—4), ex Antonia maiore[3]) a. 37 a. Chr. ei desponsa patrem Neronis procreavit (Suet. Ner. 5. Cal. 1. Dio. XLVIII, 54. Appian. b. civ. V, 95. Plut. Ant. 33. 35. cf. Borghes. opp. V, p. 190). Emptor familiae pecuniaeque in testamento Augusti fuit, a. 32 a. Chr. aedilis (Suet. Ner. 4, cf. Dio. LIV, 2); praetor et consul equites matronasque in scaenam produxit, venationes, munus gladiatorium dedit (Suet. Ner. 4. Vell. II, 72). Memoratur inter fratres Arvales[4]), vita decessit a. 25 p. Chr. (Tac. ann. IV, 44) eidemque statua in arce Atheniensium cum inscriptione exstructa est.[5])

§ 6. Sequitur M. Vinicius, consul suff. a. 19 a. Chr., avus M. Vinicii eius, ad quem Velleius Paterculus historiam conscripsit[6]) (Vell. II, 104). Ille, cum a. 25 a. Chr. Germanis victis nomen imperatoris VIII Augusto parasset (Dio LVIII, 26, cf. Momms. res gest. p. 12) bellumque Pannonicum una cum Agrippa, quod postea a. 12 a. Chr. Tiberius primum confecit, incohasset (Vell. II, 96, 2), Tiberii auspiciis annis 12—9 a. Chr. in regionibus intra Dravum Savumque sitis rem egisse putandus est, si quidem recte viri docti[7]) loco Flori (II, 24) pro tradita voce „Vinnium“

---

[1]) v. inscriptionem Cortonensem (C. I. L. VIII, 68), Uticensem (ib. 1180).

[2]) cf. Zumpt: studia Romana (Berol. 1859) p. 119.

[3]) Tacitus (ann. IV, 44. XII, 64) falso de Antonia minore cogitat.

[4]) in actis fr. Arv. anni 14 p. Chr. (Henzen act. fr. Arv. p. XXIX, 185.)

[5]) C. I. Att. III, 581.

[6]) cf. H. Sauppe: schweiz. Mus. für hist. Wissensch. I (1837) p. 154.

[7]) G. Zippel: die römische Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus (Leipz. 1877) p. 305. Asbach: analecta historica et epigraphica latina (Bonnae 1878) p. 34 sq.

restituerunt „Vinicium“. Bellum in Germania a. 1 p. Chr.[1]) exortum quibusdam locis „gessit, quibusdam feliciter“ ad annum 4, quo protinus ab adoptione V K. Jul. facta Tiberius in Germaniam missus est, „sustentavit“. Propterea triumphalia ei cum speciosissima inscriptione[2]) decreta sunt (Vell. II, 104). Itaque priore anni 4 p. Chr. parte Vinicium, praepositum Germaniae, triumphalibus ornatum esse verisimillimum puto.

Fortasse ad eum pertinet nullius momenti inscriptio a municipibus Puteolis posita (C. I. L. X, 1818).

§ 7. Accedamus ad L. Passienum Rufum[3]), consulem a. 4 a. Chr. Audiamus Velleium (II, 116, 2): celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus . . . ornamenta triumphalia meruit, quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus in Africa meruerant. — Postumus autem a. 9 p. Chr.[4]), Cornelius Lentulus Cossus a. 6 p. Chr.[5]) triumphalia cum acceperint, Passienus ante a. 6 p. Chr. et post a. 4 a. Chr. acceperit necesse est — fortasse a. 5 p. Chr., id quod illud: „ante paucos annos“ suadet — hanc certe ob causam, quod res pro consule in Africa[6]) bene gesserat. Idem Passienus non modo bellicam virtutem praestitit, sed etiam orationibus plurimum illis temporibus valebat (Senec. controv. II, 13, 17, excerpt. contr. III, pr. 10. 14).

---

[1]) nam Velleius II, 104. ubi de aestate anni 4 p. Chr. dicit, ante triennium bellum ibi exarsisse scribit.

[2]) hoc ex Vellei loco rerum gestarum descriptionem ad statuas laureatas additam esse iure concluserim. Quod idem in statuas triumphales vivis ducibus positas cadere negat Mommsenus (C. I. L. I, p. 282). Contra Hübnerus (Hermes XVI, 1881 p. 528 cum adn. 5) Suetonium Vesp. 4. inscriptione triumphali niti conicit, vide infra part. II, c. III § 2, 4. Equidem hac de re prorsus incerta iudicare non ausim.

[3]) cf. Borghes. opp. V, 157—160.

[4]) v. infra part. II, c. I § 10, 6.

[5]) v. infra part. II, c. I § 9. p. 22 sq.

[6]) intervallum certum hac aetate non fuit (Momms. res. gest. p. 170). Idem „L. Passienus Rufus imperator Africam obtinens“ legitur in titulo Africano (Momms. res g. p. 18 adn. 2).

§ 8. Jam de C. Sentio Saturnino[1]) disputemus. A. 40 a. Chr. cum aliis a Sex. Pompeio missus est, ut Juliam matrem ad M. Antonium Athenas deduceret (App. b. civ. V, 52). Per Sex. Pompeium reipublicae a. 39 restitutus (Vell. II, 77, 3) a. 35 a Pompeio ad Antonium defecit (App. b. c. V, 139). Consul intellegendus est anni 19 a. Chr., qui quidem absente Augusto priore parte anni aliquot per menses sine collega[2]) fuit (Vell. II, 92. cf. Henzen act. fr. Arv. p. 197, Momms. res gest. p. 168). Legatus Syriae fuit c. a. 8 a. Chr. (Joseph. ant. XVI, 9, 1. 10, 8. 11, 3. XVII, 1, 1. 2, 1. 3, 2. bell. Jud. I, 27, 1—3. Tertullian. adv. Marcion. IV, 19).

A. 6 p. Chr. paullo ante seditionem Pannonicam et Tiberius expeditione in Germanos facta et Augustus salutationem imperatoriam, C. Sentius autem Germaniae praepositus triumphalia accepit, quod horum metu Germani bis pacem petiverant (Dio LV, 28). Atque Saturninum rebus bene gestis honorem meruisse discimus compluribus Vellei Paterculi locis: Postquam iam legatus patris in Germania fuit, ibidem a Tiberio statim post huius adoptionem eis, quae minoris erant discriminis praefectus (Vell. II, 105), a. 6 p. Chr. contra Maroboduum exercitum ducere iussus est (ib. II, 109, 5), rei militaris peritus (ib. II, 105).

Neque post annum 6 p. Chr. memoratur et ante Augustum eum obiisse diem supremum iure quodam Mommsenus[3]) concludit ex silentio Taciti, cuius annales ab excessu divi Augusti ad annum 29 integros secundum consuetudinem auctoris de tanti viri obitu tacere vix potuisse opinatur, si Augusto superstes Saturninus fuisset.

§ 9. a) A. 6 p. Chr. Cornelius Cossus, proconsul Africae, ob Musolanos ac Gaetulos subactos ornamenta triumphalia et cognomen Gaetulici testibus Dione LV, 28, Orosio VI, 21, Velleio II, 116, Floro II, 31 accepit; utrum auctore imperatore acceperit necne nusquam indicatur, ex silentio autem scriptorum nihil certi hac de re concluserim.

---

[1]) cf. Haackh: Pauly. R. E. VI, p. 1048.

[2]) cf. Zumpt.: comm. epigr. vol. II (Berol. 1854), p. 84 sqq. Borghesius (opp. IV, p. 461) C. Sentium Saturninum consulem a. 4 p. Chr. falso habuit pro nostro.

[3]) res gest. d. Aug. p. 168.

Hic Cossus Cornelius Lentulus, Gaetulorum victor, triumvir fuit monetalis[1]) post a. 18 a. Chr., consul a. 1 a. Chr. ac victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit. (Vell. II, 116. cf. Borghes. opp. III, p. 324).

b) Jam audiamus Tacitum (ann. IV, 44): „obiit anno 25 vir nobilis Cn. Lentulus, cui super consulatum et triumphalia degetes (sic!) gloriae fuerat bene tolerata paupertas, dein magnae opes innocenter partae et modeste habitae." Oritur quaestio, num hic Cn. Lentulus sit idem ac, quem supra commemoravimus. Codicis Medicei lectionem ‚degetes', cum antea ‚de Gaetulis' scribentes recte emendasse sibi viderentur[2]), nuper Nipperdeius (ad. T. A. IV, 44) vestigia codicis premens ‚de Getis' legendum esse iure censuit.[3]) Nimirum multo facilius fieri potuit, ut librarius fortasse, cuius animo obversaretur Dionis et Vellei ille Cornelius Cossus Gaetulicus triumphalibus honoratus, de lectione dubitans Taciti locum mutaret in ‚de Gaetulis', quam ut lectionem ‚Gaetulis' in ‚Getis' mutans duos Lentulos statueret.

Quoniam Taciti illum Cn. Lentulum a Cornelio Cosso Gaetulico secernendum esse censuimus, cui sententiae etiam favet, quod victor Gaetulorum nunquam nominatur Cn. Lentulus, sed semper Cornelius Cossus aut Cossus, oritur quaestio, quo tempore Cn. Lentulus triumphalia de Getis adeptus sit. Ac primum quidem, ut omittamus monumenti Ancyrani[4]), unde nihil elucet de tempore, locum, consideranda sunt verba Flori (II, 28): Daci montibus inhaerent. Inde Cotisonis regis imperio (Suet. Aug. 63: Cotisoni, Getarum regi) decurrere solebant et vicina populari. Visum est Caesari Augusto gentem aditu difficillimam summovere. Misso igitur Lentulo ultra ulteriorem repulit ripam, citra praesidia constituta. Sic tum Dacia non victa, sed summota atque dilata est. II, 29: idem Lentulus Sarmatas prohibuit a Danuvio. —

[1]) cf. Borghes. opp. V, p. 300. 127, 214 sq.

[2]) uti Zumptius: comm. epigr. II, p. 91 sq.

[3]) dubitat Henzenus: act. fr. Arv. ind. p. 183.

[4]) mon. Ancyr. 5, 47 Nipperdeius ad Lentuli a. 10 a. Chr. reportatam victoriam, Mommsenus (res g. p. 129) rectius ad expeditionem Tiberii a. 12—9 a. Chr. factam rettulit.

Hanc Lentuli victoriam Nipperdeius[1]) collato Dione LIV, 36, ubi Lentuli ne uno quidem verbo mentionem facit, ad annum 10 a. Chr. rettulit. Probabilius Mommsenus[2]) coniecisse videtur expeditionem primam illam Romanorum transdanuvianam a Lentulo factam esse a. 6 p. Chr., quo anno teste Dione (LV, 30) tam Daci quam Sarmatae Moesiam infestarunt, nam utrumque populum (cf. Flor. l. l.) Lentulus vicit. Neque vero penes nos est quicquam probare, quia ne hoc quidem Dionis loco Lentuli fit mentio.

Illud haud dubium, quin a. 18 a. Chr. fasces gesserit[3]) A. 14 p. Chr. una cum Druso apud legiones Pannoniarum seditiosas versatur, aetate et gloria belli insignis. (Tac. ann. I, 27), a. 16 p. Chr. censet, ne quis amplius Scribonius cognomen Drusi assumat (Tac. ann. II, 32), a. 22, ut Silano materna quidem bona reddantur (ib. III, 68), a. 24 Lentulus extremae senectutis falsa accusatione eximitur (ib. IV, 29), sequenti anno diem obit grandaevus (ib. IV, 44).

§ 10. Jam transitus fiat ad eos, qui bello Pannonico ac Dalmatico (a. 6—9 p. Chr.) triumphalia sunt adsecuti, ac primum quidem commemorare placet locum Suetonii (Tib. 20), ubi Tiberium triumphum, quem propter cladem Varianam distulerat, agentem prosecutos esse tradit „legatos, quibus triumphalia ornamenta impetrarat“. Sed, priusquam ad haec accedamus, dirimamus necesse est alteram quaestionem saepius iam a viris doctis in utramque partem tractatam, eam dico quaestionem, quo anno bellum Pannonicum confectum ac pugna illa clarissima in saltu Teutoburgiensi commissa sit.

A. 9 p. Chr. victoriam illam Germanos a Romanis reportasse superiore etiam saeculo nemo non putabat, donec primus Reimarus[4]) scrupulos movit pugnam a. 10 commissam esse ratus, id quod

---

[1]) idem sentit Borghesius opp. V, p. 301.

[2]) res gest. d. Aug. p. 131 sq.

[3]) Secerno hunc cum Nipperdeio (ad T. A. I, 27) a. Cn. Lentulo augure, quem a Tacito nominari non potuisse nisi auguris addito vocabulo persuasum habeo. cf. Momms. res gest. p. 131 adn. 1.

[4]) In editione Dionis Cassii (1750—51) ad libr. LVI, c. 18.

Eduardus Schmid[1]) refutare conatus est causis ad disceptationem penitus dirimendam nequaquam idoneis. Quare mirum videri non potest Reimari opinionem iam pridem, ut videbatur, abiectam nuper revixisse. Etenim Henricus Brandes sententia primum[2]) breviter indicata alio loco[3]) nova dubitationum momenta adiecit, quibus primus Victor Gardthausen[4]), post hunc Theophilus Lüttgert[5]), Carolus Schrader[6]) oblocuti sunt, cum Arnoldus Schaefer[7]) partes sequeretur Brandesii, qui postea[8]) opinionem suam tueri conatus est argumentis ex eis Ovidii libris, qui inscribuntur 'epistolae ex Ponto' et 'tristia' petitis. Nec tamen de omnibus, quas illi viri docti protulerunt, causis singulatim iudicare mihi est in animo, sed sententias iure prolatas comprehendisse et pauca addidisse sat habebo. Equidem examinatis veterum testimoniis eo perveni, ut mihi persuaderem a. 9 pugnam, de qua agitur, haud dubie commissam esse. Ordiamur a Cassio Dione, qui sub anno 9 rerum gestarum hunc fere praebet ordinem:

LVI, c. 1: vere anni 9 Tiberius Romam redit.

c. 11: quae in Dalmatia contra castella — Splaunum, Rhaetinum, Seretium — in montibus posita magno cum labore Germanicus gesserit, describit.

c. 12: μηκυνομένου τοῦ πολέμου τὸν Τιβέριον ὁ Αὔγουστος ἐς τὴν Δελματίαν αὖθις ἔπεμψε.

c. 13: Anderium — rectius Andetrium dicitur[9]) (C. I. L. III, 3200) — magnis cum laboribus oppugnatur, Bato arma deponit.

---

[1]) Ap. Ersch-Gruber: 'allgem. Encycl. der Wiss. u. Künste' sub artic. 'Hermannsschlacht'.

[2]) Litterar. Centralbl. 1875 no. 45. sp. 1446.

[3]) 'Neues Reich' 1875, I, p. 746 sqq.

[4]) Jahrbb. f. Phil. u. Pädag. 1876 p. 245—248.

[5]) Jahrbb. ib. p. 541—544.

[6]) ib. p. 544—549. Theodori Matthias commentatio (Jahrbb. 1884, p. 193—216) in manus venit iam absoluta hac dissertatione.

[7]) ib. p. 248—250.

[8]) Jahrbb. 1877 p. 349—360. cf. Schrader: Jahrbb. 1877 p. 846—850. Edm. Meyer: Zeitschr. f. d. Gymn.-Wesen XXXII (1878) p. 449—461.

[9]) cf. Bulletino di archeologia e storia Dalmata 1878 p. 122.

c. 14: Anderium expugnatur.

c. 15: Arduba a Germanico capitur.

c. 16: Bato se dedit Tiberio.

Quam si legis Dionis narrationem, consideres quaeso iam inde ab anno 6 p. Chr. bellum illud gravissimum ductum esse neque Romanos totius orbis victores hostes subigere potuisse. Quare potissimum explicatur, quod Augustus morae impatiens ad Tiberium denuo summum detulit imperium, ut tandem aliquando bellum conficeretur; hinc Dionis illud ‘μηκυνομένου τοῦ πολέμου’ cum Gardthauseno intellegendum est, id quod Brandesius verbis „der Krieg zog sich nun in die Länge“ perperam interpretatus ad solum Germanicum a. 9 frustra bellum ibi gerentem refert.

Quinto die post confectum totum bellum Pannonicum ac Dalmaticum e Germania epistolae nuntium caesi Vari attulerunt Tiberio[1]) teste Velleio (II, 117), quocum optime convenit Dio (LVI, 18) vix Tiberio triumphum et Germanico ornamenta triumphalia decreta esse narrans, cum nuntius cladis Varianae Romam allatus esset. Sequitur apud utrumque (Vell. II, 117—119. Dio LVI, 18—22) primum descriptio cladis Varianae, deinde (Vell. II, 120. Dio LVI, 23—24) explicant, quibus Augustus consiliis pericula a Germanis fortasse imminentia averterit quaeque Tiberius in Germania providerit. Quae quidem omnia, quamquam non pauca sunt[2]), tamen ut iniqua rerum conditione efflagitata eiusdem anni 9 parte extrema facta esse meo iudicio non est, quod miremur. Post haec prodigiis istius temporis memoratis Dionis (LVI, 25 init.) optimus codex (Venetus 395), qui solus adhibendus est, hanc praebet lectionem: „καὶ ταῦτα μὲν οὕτω τότε συνέβη. Τούτων τε οὖν ἕνεκα καὶ ἔτι καὶ . . . μετὰ τὴν στρατηγίαν ἔχων. Τῷ δὲ δευτέρῳ τά τε ἄλλα τὰ προειρημένα ἐγένετο καὶ τὸ Ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη. Καὶ αὐτῷ τό τε ἐκείνου ὄνομα καὶ τὸ τοῦ

---

[1]) quinto post confectum bellum die ad Tiberium neque Romam nuntium pervenisse et e sententiarum nexu et e loco eiusdem Vellei (II, 120: his auditis revolat ad patrem Caesar) Edm. Meyer (Forsch. z. deutsch. Gesch. 18 (1878) p. 338 recte concludit.

[2]) Brandesius (Neues Reich) in multitudine rerum gestarum male offendit.

Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. Μάρκου δὲ Αἰμιλίου μετὰ Στατιλίου Ταύρου ὑπατεύσαντος Τιβέριος μὲν καὶ Γερμανικὸς ἀντὶ ὑπάτου ἄρχων ἔς τε τὴν Κελτικὴν ἐσέβαλον. Quem ad locum adnotat Immanuelus Bekker, Dionis diligentissimus editor[1]; ubi puncta sint, folium excisum esse, ceteris libris: „τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τό τε ὁμονόειον“ statim post τότε συνέβη praeberi. Lacunam autem verbis ‘τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει’ expletam esse nihil valentibus praeteriit Brandesium, cuius argumentatio cum verbis interpolatis tota fere nitatur, fundamento caret. Contra ex loco nostro, qualis est in optimo codice, haec licet colligere: quae contineantur verbis „τῷ δὲ δευτέρῳ“ videlicet ἔτει, opponi sine dubio rebus priore anno gestis, qui prior annus alius esse non potest nisi 9, quoniam fastis Praenestinis[2]) (C. I. L. I, p. 312) Concordiae Augustae aedem mensis Januarii die decimo sexto P. Dolabella C. Silano cos. i. e. anno 10 p. Chr. post primam Tiberii expeditionem Germanicam dedicatam esse docemur eodem die, quo (a. 27 a. Chr.) imperator Caesar esset appellatus Augustus et Tiberius (a. 12 p. Chr.) ex Pannonis et Delmatis triumphasset. Quare τὰ προειρημένα pertinent ad annum 10. Atque cum ante verba μετὰ τὴν στρατηγίαν folium deesse sciamus, nonne ratio cogit, ut statuamus τά τε ἄλλα τὰ προειρημένα eodem in folio enarrata ibidemque consules anni 10

---

[1]) ed. Lips. 1849.

[2]) Falso Suetonius (Tib. 20) Concordiae aedem anno dieque triumphi Tiberii dedicatam dicit eo nimirum commotus, quod iam a. 9 paullo post cladem primum Tiberium in Germaniam profectum paulloque post reversum nescit vel neglegit. Idem Suetonius (Tib. 20) templum quoque Castoris et Pollucis a Tiberio in triumpho de manubiis dedicatum vult, id quod Dio (LV, 27) iam sub anno 6 rectius narrat. cf. Ovid fast. I, 645 sqq. Schraderus (Jahrbb. 1876 p. 548) si quidem sentit Velleio quoque ignotum esse Tiberium exeunte iam anno 9 ad Germaniam pacandam esse profectum, iudicio lapsus mihi videtur esse. Immo verbis (II, 120 init.): „his auditis revolat ad patrem Caesar“, cumulatis praesentibus historicis quae vocantur, quibus optime celeritas significatur, apparet haec spectare ad annum 9 periculorum plenum. Arte igitur coniungit Velleius illius expeditiones annis 9 et 10 susceptas, cui opinioni etiam ea favent, quae ibi de captivis affert. cf. Meyer Forsch. z. d. Gesch. 18 p. 329—330.

nominatos fuisse? Contra ferri non potest Brandesii opinio conicientis duodecimi capitis initio P. Cornelii Dolabellae, C. Junii Silani, consulum anni 10, nomina excidisse. Neque adstipulor Abrahamo[1]), ut multitudinem rerum gestarum apud Dionem sub anno 9 traditarum minuat, conicienti cap. 11 et 12, 1 describi res a Germanico a. 8 gestas easque aut in Dionis fonte falso loco fuisse aut a Dione falso loco insertas esse. Hanc enim coniecturam si probamus, Germanicus ea parte anni 9, qua Tiberius Romae versabatur, nihil videtur gessisse, id quod vix credibile est.

Sequitur maximi ponderis locus Suetonii (Tib. 16): „nuntiata Illyrici defectione transiit (Tiberius) ad curam novi belli, quod triennio gessit.“ Quod bellum, cum teste Dione (LV, 29) a. 6 exortum sit, evincitur ultra annum 9 ductum non esse. Unde sequitur, ut clades Variana, quam eodem certe anno quo victoriam Pannonicam factam esse constat, a. 9 accepta sit. Frustra autem Schaeferus[2]) annum 10 tueri studet mera coniectura ponens annum 9 a Suetonio propterea non numerari, quia tum teste Dione (LVI, 1, 1. 11—12, 1, cf. Vell. II, 115, 2) exercitui summus dux praefuerit Germanicus, non Tiberius, quem insequenti demum anno bello defunctum esse Brandesium secutus opinatur. Nam cum proximis verbis hisce: „et quamquam saepius revocaretur, tamen perseveravit“ Schaeferi opinio cadit tum maxime eo, quod Suetonius, si annum 9 omittere voluisset, annum 7 quoque omittere debuit, quo et ipso solum Germanicum bellum gessisse et e Dione (LV, 31) et e Velleio (II, 114. 115) duplicem imperii mutationem silentio praetereunte apparet, ut optime Schraderus[3]) adnotat.

Iam addamus oportet rerum ordinem, qualem Velleius Paterculus praebet. Verba haece: II, 110, 1: „praeparaverat iam hiberna Caesar ad Danubium, cum universa Pannonia, Delmatia arma corripuit“ ad annum 6, ut Dionis locus (LV, 29) docet, pertinent idemque in ea, quae de virtute Messallini[4]) necopinato

---

[1]) Zur Gesch. der pannon. u. german. Kriege unter Augustus (Progr. Sophienrealschule Berl. 1875) p. 13.

[2]) l. l. p. 248.

[3]) Jahrb. 1876 p. 546.

[4]) de hoc vide infra part. II, c. I § 10, 1.

tumultu paene oppressi Velleius (II, 112) profert, cadere nemo infitias ibit. Sunt fere haec: felix eventu, forte conatu „prima aestate belli“ Messallini opus mandandum est memoriae. Qui vir praepositus Illyrico „subita rebellione“ cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu amplius viginti milia fudit et ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Legiones deinde, quae ex aliis provinciis auxilio succurrerant (a. 6. teste Dione LV, 30), remisit Tiberius, cum ipse hiemis, (videlicet eiusdem anni) initio regressus Sisciam legatos praeficeret hibernis (Vell. II, 113). Annum 7, quo solus Germanicus bellum gessit, (Dio LV, 31) silentio praeterit. Verba II, 114: „hiems“ emolumentum patrati belli contulit, sed „insequenti aestate“ omnis Pannonia reliquiis totius belli in Delmatia manentibus pacem petiit. „Autumno“ victor in hiberna reducitur exercitus, cuius omnibus copiis a Caesare M. Lepidus praefectus est“ dubitare non sinunt, quin casus anni 8 intellegendi sint, quo anno Pannoniam pacem petiisse Dio (LV, 33) testatur. Subsequens[1]) annus (9) incipit capite 115: „Caesar ad alteram belli Delmatici molem animum atque arma contulit“ etc. „Initio aestatis Lepidus educto hibernis exercitu“ tendens ad Tiberium magna cum clade obsistentium excisis agris laetus victoria praedaque onustus pervenit ad Caesarem. „Illa aestas“ maximi belli consummavit effectus, quippe armis ipsius Caesaris tum demum pacati sunt, cum paene funditus eversi forent. Capite 116, ut haec statim absolvamus, idem Germanici aliorumque ducum bene spectatorum virtutem quin laudaret, facere non potuit: „magna in bello Delmatico experimenta virtutis in incultos ac difficiles locos praemissus Germanicus dedit; celebri etiam opera diligentique Vibius Postumus, vir consularis, praepositus Delmatiae, ornamenta meruit triumphalia, quem honorem ante paucos annos Passienus et Cossus in Africa meruerant. Sed Cossus victoriae testimonium etiam in cognomen filii contulit. At Postumi operum L. Apronius particeps illa quoque militia eos, quos mox consecutus est, honores excellenti virtute meruit.“ Quo capite existimarit

[1]) qui apud Dionem (LVI, 12 init.) consulum anni 10 nomina excidisse putant, Velleium, ut annum 7, ita annum 9 omittere coguntur ponere.

quispiam in universum de virtute Germanici, Postumi, Apronii per totum bellum insigni agi ac Velleium respicere priores quoque belli annos. Quae opinio primo oculorum obtutu probabilis eo refellitur, quod legimus primum „in bello Delmatico“ (cf. II, 114, 4. 115, 1) neque in bello Pannonico et Delmatico, deinde: Vibium Postumum meruisse triumphalia, quae ante paucos annos Passienus[1]) et Cossus[2]) in Africa meruerint. Cossum enim cum a. 6 p. Chr. triumphalibus honoratum esse constet, de annis 6—7 cogitare Velleius nullo pacto potest. Ac ne de anno 8 quidem sermo mihi videtur esse, quia Postumi facinorum particeps dicitur L. Apronius[3]), qui, cum inde a Kalendis Juliis anni 8 p. Chr. consulatu Romae functus sit, initio anni 8 militiae vix quicquam memoratu dignum gesserit.[4]) Accedit, quod Cassius Dio (LVI, 15) ultimo totius belli anno (i. e. a. 9) Germanicum Ardubam, castellum difficile aditu (cf. supra p. 29) oppugnasse Postumumque (LVI, 16) reliquias belli confecisse narrat. Itaque, cum praesertim e Dione colligere liceat Postumum a. 9 praepositum Dalmatiae fuisse, de antecedenti autem anno plane nihil sit traditum neque initium sequentis anni indicetur, unus annus 9 intellegendus est eiusque aestas, qua denuo exercitui praefuit Tiberius, quocum fortasse L. Apronium consulatu defunctum Roma ad bellum profectum esse coniecerim.

Restant duo imprimis Taciti loci, quos suo iure Gardthausenus ad sententiam suam comprobandam adhibuit neque eos recoquere mihi opus esset, nisi nuper Franciscus Violet[5]) ex usu Taciti numerorum diligenter observato iisdem ipsis locis Brandesii opinionem commendari sibi visus esset effecisse.

Loci autem hi sunt:

Tac. ann. I, 62: igitur Romanus, qui aderat, exercitus sextum post cladis annum trium legionum ossa condebant.

---

[1]) v. part. II, c. I § 7. p. 21.

[2]) v. ib. § 9. p. 22 seqq.

[3]) v. part. II, c. II § 1, 2.

[4]) aliter sentit Mommsenus: eph. epigr. II, p. 267.

[5]) der Gebrauch der Zahlwörter in Zeitbestimmungen bei Tacitus: Leipziger Studien V 1882.

ib. XII, 27: quosdam e clade Variana quadragesimum post annum servitio exemisse.

Violetus enim, postquam luculenter demonstravit[1]) ordinalibus numeralibus Tacitum semper ita uti, ut spatium nondum confectum indicetur et inde a termino ad terminum usque numeretur, idem cadere probat[2]) in ea exempla, ubi Tacitus aliquid anno nescio quo post casum aliquem factum esse narrat. Quod recte concludit ex quattuor Taciti Annalium locis bene traditis: III, 76 (Violet. p. 175), XI, 11 (Violet. p. 176 sq.), XII, 36 (Violet. p. 177 sqq.), XI, 9 (Violet. p. 179 sq.). Quae quattuor exempla si inspexeris, semper praepositionem ‚post' vel coniunctionem ‚postquam' cum ablativo numeri praecedenti coniunctam esse invenies, id quod prohibere debuit Violetum[3]), in ceteris circumspectum cautumque, quominus hos locos confunderet cum nostris (Tac. ann. I, 62. XII, 27), quippe quibus accusativum numeri ordinalis praepositio ‚post' excipiat. Nam aliud esse ‚sextum post annum', aliud ‚sexto anno post' nemo, opinor, non videt[4]). Et profecto hanc interpretationem verissimam si probaveris, omnia bene currunt. Trium enim legionum ossa condita esse ineunte iam auctumno anni 15 probabiliter inde concluditur, quod sideris aequinoctii paullo infra (I, 70) mentio fit Germanicumque quam celerrime rediisse Tacitus narrat. Sex igitur anni iam completi erant[5]) inde ab interitu Vari — si quidem a. 9 interiit —, quia cladem mense Augusto factam esse verisimillimum mihi videtur. Nam ex fastis Antiatibus (C. I. L. I, 326 sqq.) Tiberius III Non. Aug. in Illyrico vicit, quae verba neque ad bellum Pannonicum a. 12—11 a. Chr. gestum neque ad Pannoniam a. 8 p. Chr. subactam, sed ad bellum Pannonicum Dalmaticumque confectum a. 9 p. Chr. pertinere Mommsenum[6]) secutus Meyerus[7]) iure statuisse videtur. At, cum

---

[1]) l. l. p. 150 sqq.
[2]) l. l. p. 174 sqq.
[3]) l. l. p. 180 sqq.
[4]) cf. Nipperdeium ad T. A. I, 62.
[5]) cf. Schrader. Jahrbb. 1876 p. 547.
[6]) ad C. I. L. l. l.
[7]) Forsch. z. d. Gesch. 18 p. 333 sqq.

nuntius cladis Varianae „quinto die post consummatum opus totius belli“ (Vell. II, 117) ad Tiberium. Germanico cum nuntio belli confecti Romam profecto pervenerit neque constet, quot diebus Germanicus et Postumus reliqua totius belli post Batonis deditionem perfecerint, (Dio LVI, 15), iudicare non ausim, quo mensis Augusti[1]), ut videtur, die clades Variana accepta sit.

Itemque a. 50, quo quosdam e clade Variana exemptos esse apud Tacitum invenimus, quadraginta anni praeterierant pleni[2]). Ergo uterque Taciti locus tantum abest, ut sententiae nostrae obstet, ut non parum faveat.

Quoniam nos quoque statuimus a. 9 pugnam utramque commissam esse, sequitur, ut Tiberius a. 12 XVII K. Febr. (fast. Praenest.) de Pannonis Delmatisque triumphum a. 9 decretum egerit. Est enim apud Suetonium (Tib. 20) proximo post cladem Varianam anno i. e. a. 10 repetivisse Tiberium Germaniam et reducem post biennium[3]) — i. e. a. 12[4]) neque, id quod sibi persuasit Brandesius, a. 13 — triumphasse, quocum optime convenit, quod Tiberii expeditionis post a. 11 in Germaniam factae ne umbra quidem apud Cassium Dionem exstat. Neque enim eo, quod Augustus a. 12 salutationes senatus recusat ἐπὶ τῇ τοῦ Κελτικοῦ πολέμου προφάσει teste Dione (LVI, 26) efficitur Tiberium a. 12 in Ger-

---

[1]) Eduardus Schmid: Bestimmung des Tages der Hermannsschlacht (Jena 1812) et in Encycl. Ersch. Gruber. 2, VI, 221 mense Septembri, Brandesius (neues Reich l. l.) mense Augusto cladem acceptam esse argumentis incertis nixi contenderant.

[2]) Schraderi coniecturam (Jahrb. 1876 p. 547) numero, quem dicimus, ‚rund‘ hic Tacitum usum esse Violetus (l. l. p. 182) ut a Tacito accurato alienum iure refutat. cf. Violet. l. l. p. 225 sqq.

[3]) cf. Schraderum de biennio (Jahrbb. 1876 p. 546) Schaeferi errores acutissime refutantem. — Tiberium a. 10 Germaniam ingressum esse quominus putemus, locus Dionis (LVI, 25, 2—3) non impedit. cf. Meyer: Zeitschr. f. Gymnw. XXXII, p. 461.

[4]) idem sentiunt cum plerique tum Matthias l. l., cum Hermannus Schulz, cuius dissertationem (quaestiones Ovidianae, 1883 Gryphiswald. p. 15 sqq) benevolentia Ferdinandi Ascherson post hanc commentatiunculam confectam inspicere mihi licuit, annum 13 tueatur.

mania bellum gessisse.[1]) Quamquam Brandesius[2]) opinionem suam eo tueri studet, quod in nummo a. 13 signato (Eckhel. D. N. VI, p. 186) Tiberius in quadrigis exprimatur neque talis nummus anno iam antecedenti signatus exstet. At, cum eiusdem modi nummi a. 14 et 15 signati aetatem tulerint omnibusque indiciis adhuc a nobis tractatis triumphus ad annum 12 referatur, memoriam triumphi a. 12 acti in nummis, ut iam docuit Eckhelius (l. l. p. 187) annis 13, 14, 15 renovatam esse statuendum est.

Vellei Paterculi autem loco (II, 104), ubi auctor inde ab adoptione Tiberii a. 4 facta ad triumphum usque numerans annos continuos VIIII, ut est in editione principe[3]), praefectum aut legatum, spectatorem et adiutorem Tiberii se fuisse dicit, cum Kreyssigio[4]), Sauppio[5]) legendum esse censeo numerum VIII, quem numerum Amerbachii apographum[6]) saepius editioni principi errorum plenae praeferendum praebet. Sed, utcunque est, hoc loco plane incerto niti vereor ne sit temerarium.

Ovidii denique librorum, qui inscribuntur 'tristia' et 'epistolae ex Ponto' tempora ita constituenda sunt, ut conveniant iis, quae de belli Pannonici et triumphi temporibus statuimus. Atque hoc sine difficultate fieri posse Schraderus[7]), Meyerus[8]), Matthias[9]) eadem fere ratione contra Brandesium[10]) satis docuerunt.

---

[1]) cf. Meyer: Zeitschr. f. Gymnw. XXXII, p. 466.

[2]) Jahrbb. 1877. p. 360. cf. Schrader: ib. p. 849. Meyer: Zeitschr. f. Gymn. XXXII, p. 461 fin.

[3]) Basel 1520.

[4]) cf. edit. (Meissen 1836) praefat. p. LII.

[5]) Schweiz. Mus. I, 139. cf. Meyer: Z. f. d. GW. XXXII, p. 461. Halm: Rh. Mus. XXX (1875), p. 545. Aliter sentiunt Brandesius Jahrbb. 1877, p. 359 sq., Halmius in edit. (Lips. 1876) ad h. l.

[6]) cf. Fechter: die amerbachische Abschrift des Velleius u. ihr Verhältnis zum murbach. codex u. zur edit. princeps (Basel 1844). Halm: Rh. Mus. XXX, 534 sqq. imprimis p. 539 sqq. eiusque editionis praef.

[7]) Jahrbb. 1877 p. 846—850.

[8]) Z. f. d. G. W. XXXII, p. 449—461.

[9]) Jahrbb. 1884 p. 201—214.

[10]) Jahrbb. 1877, p. 349—360.

Jam vero ad propositum redeamus et exploremus, quinam triumphalibus bello Pannonico exornati triumphantem Tiberium sint secuti.

1. Ordiamur a M. Valerio Corvino Messalla sive Messalino[1]; qui teste Velleio (II, 112) prima aestate belli illius i. e. a. 6 praepositus Illyrico (cf. Dion. ind. LV) subita rebellione circumdatus victor hostilis exercitus discessit et ob id non triumpho, quem ei Tibullus (II, 5 fin.) non praesagiens futuram institutionem vaticinatur, at ornamentis triumphalibus honoratus est. Vix una cum Tiberio in Germaniam profectus erat, cum subito seditio Pannoniorum ac Dalmatarum exarsit, propter quam e Germania redire coacti sunt. Praemissus Messalinus priori pugna a Batone victus est, postea superior discessit (Dio LV, 29. 30). Itaque decus meruit eodem anno[2], nisi forte a. 9[3] cum ceteris ducibus triumphalia eum accepisse existimas.

Filius erat oratoris Messallae Corvini (Vell. l. l. Tac. ann. III, 34), qui a. 27 a. Chr ex Gallia triumphavit, (act. tr. Cap.), frater Cottae Messalini[4]), amicus Ovidii (ep. Pont. I, 7. II, 2. Trist. IV, 4). Auctor carminis, quod inscribitur Ciris, hunc alloquitur hisce: iuvenum doctissime (cf. Teuffel Littg. § 230, 2 A. 1. 267, 6). Quindecimvirum eum fuisse carmen Tibulli (II, 5) docet post a. 26[5]) compositum, fasces gessit a. 3 a. Chr., fortasse non M. Valerius Messalinus consul a. 20 p. Chr., sed hic frater Arvalis fuit a. 21 p. Chr. (Henzen ind. fr. Arv. p. 199), quo etiam vivus memoratur (Tac. ann. III, 34).

---

[1]) v. Nipperd. ad Tac. ann. I, 8, ubi nominatur Messala Valerius. ib. III, 18. 34: Valerius Messalinus. Dio ind. LV: M. Οὐαλέριος, M. υἱός, Μεσσαλᾶς ἢ Μεσσαλῖνος, cf. Haackh: Pauly, R. E. VI, 2355, 100. Annali inst. arch. 1856 p. 14. Suet. Aug. 58. 74. Galb. 4.

[2]) Henzenus (act. fr. Arv. p. 199), Borghesius (opp. IV, 456) a. 8 triumphalibus eum honoratum esse perperam putant.

[3]) vide infra part. II, c. I, § 10, 8. p. 38.

[4]) v. Nipperd. ad II, 32.

[5]) cf. Kindscher: Mützell's Zeitschr. f. d. G. W. 1859 p. 292. Dissen: Tibull (Gotting. 1835) p. XXVI. II, 268. Teuffel: Tibull übers. (Stuttg. 1853) p. 34 sqq.

2. Sequitur, ut examinemus, num Magius Celer Velleianus eiusque frater Velleius Paterculus, qui a. 14 p. Chr. praetores sunt destinati (Vell. II, 124, 4) triumphalia acceperint. Velleius (II, 115, 1) enim tradit Velleianum legatum „amplissimis honoribus“ a Tiberio triumphanti donatum esse idemque (II, 121, 3) triumphum Velleio et Velleiano „inter praecipuos praecipuisque donis adornatos viros“ comitari contigisse. His locis fortasse quispiam[1]) cogitarit collato Suetonii loco (Tib. 20) honoribus amplissimis indicari ornamenta triumphalia iisque instructos Velleianum Velleiumque triumphum prosecutos esse. Quod tantum abest, ut probatum sit, ut nihil nisi dona militaria quae vocantur, intellegendum esse contendam ea causa motus, quod exceptis Druso[2]) et Germanico[3]) nemo, quantum scio, nisi consularis Augusto regnante triumphalia est adsecutus.

3. Aelium Lamiam[4]) in Germania Illyricoque et in Africa functum ministeriis non merito, sed materia adipiscendi triumphalia defectum esse Velleius (II, 116) ipse affirmat. Itaque properemus ad

4. M. Lepidum.

M. Aemilius Lepidus, L. Aemilii Pauli filius, legatus Tiberii, ob victoriam, quam ad Tiberium tendens a Dalmatis reportarat a. 9[5]), triumphalibus „consentiente cum iudicio principum voluntate senatus“ donatus est (Vell. II, 115, 2—3). Anni 8[6]) hieme totius exercitus hibernis ibi praefectus erat (Vell. II, 114, 5). Altera eiusdem victoria intellegenda videtur apud Dionem LVI, 12, qui quidem tradit Tiberium iterum (a. 9) in Dalmatiam missum copiis in tres partes divisis unam Lepido dedisse, hunc autem victorem discessisse. Hic Lepidus[7]), consul in integrum annum 6 p. Chr., cum familia Augusta affinitate coniunctus, (Vell. II, 114),

---

[1]) ut Meyerus: Z. f. d. G. W. XXXII, p. 461.

[2]) vide part. II, c. I, § 2. p. 16.

[3]) vide part. II, c. I, § 10, 7. p. 37.

[4]) vide Borghes. opp. V, p. 558.

[5]) vide part. II, c. I, § 10. p. 29.

[6]) vide part. II, c. I, § 10. p. 29.

[7]) cf. Borghes. opp. V, 288 sqq. Henzen ad C. I. L. I, p. 474. Waddington: fastes des provinces Asiatiques (Berl. 1872) I no. 70.

secernendus est a M'. Lepido apud Tacitum (ann. I, 13. III, 11. 22. 35. 50. IV, 20. 56. VI, 5. 27. cf. C. I. L. VIII, 9247) commemorato et saepe in codicibus cum M. Lepido confuso[1]): Hispaniis hic a. 14 p. Chr. praefuit et Augusto mortuo in summa pace eas continuit (Vell. II, 125, 5). Eidem Tiberius bona Aemiliae Musae petita in fiscum a. 17 p. Chr. tradidit (Tac. ann. II, 48), a. 21 p. Chr. non in Africam, ubi incursus Tacfarinatis fortem ducem efflagitabant, sed in Asiam provinciam missus est[2]) (ib. III, 32), a. 22 Romam reversus a senatu quamquam pecuniae modicus petivit, ut basilicam Pauli propriis sumptibus firmaret ornaretque (ib. III, 72).[3]) Vita decessit a. 36 (ib. VI, 40).

5. Sequitur M. Plautius Silvanus[4]).

Cui senatum triumphalia decrevisse testantur cum locus Suetonii (Claud. 26), quo Plautia Urgulanilla, Claudii uxor, triumphali[5]) patre (M. Plautio) orta dicitur, et titulus (Wilm. ex. 1137) ubi P. Plautius Pulcher triumphalis filius appellatur, tum titulus, qui exstat in Plautiorum sepulcro.

Wilm. Ex. I, 1121 (Orelli 622) Ponte Lucano (prope Tibur). M. PLAVTIVS. M. F. A. N. | SILVANVS | COS. VII. VIR. EPVLON. | HVIC. SENATVS. TRIVMPHALIA ORNAMENTA. DECREVIT | OB. RES. IN. ILLYRICO | BENE. GESTAS | LARTIA. CN. F. VXOR | A. PLAVTIVS. M. F | VRGVLANIVS | VIX. ANN. IX.

Honos triumphalis M. Plautio, legato Tiberii, contigit ob res

---

[1]) cf. Nipperd. ad III, 32, 10.

[2]) de nummis Cotiaei et insulae Coi ad hunc relatis vide Waddingt. l. l. I, p. 113. Borghes. opp. II, p. 327 sqq.

[3]) cf. Nipperd. ad h. l.

[4]) cf. Borghes. opp. V, p. 308. Waddingt. l. l. I, no. 64.

[5]) vox enim triumphalis, praeterquam quod significat eum, qui re vera triumphavit (uti ap. Suet. Caes. 4. Aug. 30. Ner. 35. Wilm. exempl. no. 1134 etc.) et ovatione urbem ingressum (Tac. ann. III. 56. coll. III, 19) eadem saepius significat viros ornamentis triumphalibus honoratos, his locis: Suet. Aug. 30. Calig. 3. Claud. 26. Ner. 30. Tac. hist. IV, 8. ann. XIV, 1. Wilm. ex. 1137. Plin. Paneg. 9. Cave, ne cum his confundas praetores triumphales, qui Constantini aetate inveniuntur (C. I. L. VI, 1675. 1760).

in Illyrico bene gestas. Eo tumultu a. 6 exorto statim et A. Caecina et Silvanus ex transmarinis provinciis — ille ex Moesia, hic ex Thracia — adduxerunt exercitum, sed eadem hieme regressi sunt (Vell. II, 112. Dio LV, 30). A. 8, cum iterum permulti Pannonii rebellassent, Silvanus contra eos profectus Breucos superavit, reliquorum nonnullos sine proelio in deditionem recepit (Dio LV, 34). Altera eius victoria commemoratur a Dione LVI, 12), qui narrat Silvanum tripartiti exercitus ea parte, cui praepositus erat a Tiberio, — a. 9 nostro iudicio — Dalmatas vicisse. Triumphalia accepit sine dubio eodem[1]) anno, id quod paullo infra[2]) demonstrabimus. Post consulatum a. 2 a. Chr. gestum quando Asiam pro consule obtinuerit, pro certo affirmare non ausim[3]). In titulo Tiburtino summi Plautii honores enumerantur hi: consulatus, septemviratus, ornamenta triumphalia.

Pater fuit, ut hoc statim addam, Auli Plautii consulis anni 29, qui a. 47 ovans de Britannis urbem ingressus est (Suet. Claud. 24. Tac. ann. XIII, 32. cf. Dio LX, 30. Eutrop. VII, 13) et Ti. Plautii Silvani Aeliani[4]), qui et ipse ornamenta accepit.

6. C. Vibius Postumus[5]), legatus Aug. pr. pr. Dalmatiae, virtute a. 9[6]) probata meruit triumphalia (Vell. II, 116, 1) ea imprimis, ut videtur, de causa, quod Arduba expugnata bellum confecit. (Dio LVI, 15). Consul suff. fuit a. 5 p. Chr.

7. Germanico denique nuntio belli compositi statim insignia

---

[1]) Borghesium (opp. V. p. 108) secutus Nipperdeius (ad T. A. IV, 22), ubi de Plautiorum familia agit, adnotat M. Plautium legatum Tiberii fuisse a. 10 bello Pannonico coll. Dione LVI, 12 et triumphalia a. 12 — idem sentit Kleinius: r. Verwaltungsbeamte I, 1 p. 104 No. 105 — accepisse coll. Suet. Tib. 20. Ego contra, cur a. 12 demum triumphalia illi Tiberius impetrarit, me intellegere non posse profiteor.

[2]) part. II, c. I § 10, 8. p. 38.

[3]) Waddington (fast. I, No. 64) ad annum 4—5, Zippelius (röm. Herrschaft in Illyrien bis auf Augustus, (Leipz. 1878) p. 13 ad annum 1—2 p. Chr. eius proconsulatum revocavit.

[4]) v. infra part. II, c. V § 3.

[5]) cf. C. I. L. IX, 730: procos.

[6]) vide supra part, II, c. I § 10. p. 29.

triumphalia[1]) ac praetorii honores decreta sunt, cum Augusto et Tiberio inter alios honores triumphus decerneretur (Dio LVI, 17). Quod factum est paullo ante quam nuntius cladis Varianae Romam pervenit (ib. 18) i. e. mense Augusto anni 9, ut supra exposuimus. Germanicus igitur unus ex omnibus viris, qui hoc bello triumphalia adsecuti sunt, quantum videtur, adsecutus est ante consulatum, id quod nihil habet, cur miremur.

8. Una cum Germanico ceteris ducibus: M. Lepido, M. Plautio, Vibio Postumo, fortasse M. Valerio Messalino, ornamenta a senatu decreta esse sequitur, opinor, ex loco Dionis (LVI, 17): τῷ δὲ Γερμανικῷ αἵ τε νικητήριοι τιμαὶ (sc. ἐψηφίσθησαν), ὅπερ που καὶ τοῖς ἄλλοις στρατιάρχοις ὑπῆρξε „was eben auch den anderen Feldherren zu teil wurde“.

9. Quae cum ita sint, summae habet speciem probabilitatis loco illo Suetonii (Tib. 20), unde huius paragraphi exordium cepimus, intellegendos esse Germanicum, M. Aemilium Lepidum, M. Plautium Silvanum, C. Vibium Postumum, etsi non negarim fieri potuisse ut hic ille ex hoc numero nescio qua de causa triumphum prosequi sit prohibitus. Sine dubio M. Valerius Messala triumpho interfuit (Ovid ep. Pont. II, 2, 77 sqq). Neque mihi sumo, ut praeter hosce, quos ex inscriptionibus et scriptoribus colligere licet, neminem bello Pannonico ac Dalmatico triumphalia adeptum esse censeam.

10. Quibus pertractatis restat, ut quaeramus, sintne quinque illis triumphalia decreta auctore imperatore. Hoc unum pro certo affirmari potest M. Plautio, ut docet titulus eius, decreta esse triumphalia a senatu. Imperator si exstitisset auctor, in titulo commemoraretur haud dubie. Itaque, cum Silvanus esset eorum, quibus Tiberius, ut ait Suetonius (Tib. 20) ornamenta triumphalia „impetrarat“ non sine probabilitate coniecerim ne quattuor

---

[1]) loco Suetonii (Calig. 3): „oravit causas Germanicus etiam triumphalis“ vox triumphalis vertenda est „als er schon die orn. tr. erhalten“ nec „als er schon triumphirt hatte“, ut docet locus quidam, qui Bremium (ad h. l.) fugit Dionis (LVI, 26) Germanicum consulem a. 12 aliorum causas egisse narrantis. Triumphavit postea a. 17 (Tac. ann. II, 41. Eckhel D. N. VI, 209. Oros. VII, 4).

quidem reliquos auctore imperatore ornatos esse, sed Tiberium Germanicumque apud senatum res ab istis gestas ut triumphalibus dignas laudibus ita extulisse, ut „senatus iudicio principum consentiens" (Vell. II, 115, 2) triumphalia decerneret omnibus. Germanico non dubito, quin sponte decreverit.

§ 11. Absolutae disputationis summam paucis nunc comprehendere in rem est: innotuerunt quindecim viri triumphalibus ornamentis ob virtutem militarem honorati. Unus ex eis, Tiberius, bis ornamenta accepit. Omnes Druso Germanicoque exceptis acceperunt post consulatum. Quot viri praeter hos, quos collegimus, decus adepti sint, statui nequit neque quidquam tribuo loco Suetonii (Aug. 38): „nec parcior (Augustus) in bellica virtute honoranda super triginta ducibus iustos triumphos et aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit". Etenim, cum Suetonius ne triumphorum quidem numerum, quem facile ex actis triumphorum Capitolinis cognoscere poterat, recte[1]) tradiderit, numerum virorum triumphalia adeptorum, quippe quos, si omnino colligere vellet, non sine labore ex actis senatus vel ex scriptoribus et statuarum inscriptionibus essent colligendi, nil valere mihi concedes.

Omnibus quindecim illis triumphalia a senatu auctore imperatore decreta esse fortasse quispiam concluserit e Suetonii (Aug. 38) verbis: Augustus ornamenta „decernenda curavit".

At memineris, quaeso, P. Sulpicio Quirinio et M. Plautio Silvano auctore imperatore ista decreta non esse idemque cadere in Messalinum, Lepidum, Postumum, Germanicum. Ergo Suetonii ex loco nihil sequi videtur, nihil significare voluit nisi a senatu

---

[1]) re vera, ut recte monuit Mommsenus (res gest. p. 168 adnot.) in tabulis huius temporis triumphalibus nunc plenis, si triumphos omnes numeramus ab a. 43 a. Chr. praeter ipsius Augusti ovationes duas triumphosque tres et Antonii ovationem non reperiuntur nisi duo et viginti. Nimium igitur Suetonius posuit numerum, licet triumphos a ducibus repudiatos adnumeraverit.

Idem autem Mommsenus nescio, cur (r. St. R. I, p. 449. res gest. p. 168) de numero eorum, qui ornamentis triumphalibus honorati sint, Suetonio fidem habuerit.

sub Augusto triumphalia tot viris ob virtutem militarem esse decreta: Ceterum scriptores nihil tradunt, unde colligi possit huic illi decreta ea esse auctore imperatore. Nec tamen ex scriptorum silentio statim sequitur, ut illi — exceptis sex istis — decus auctore imperatore non acceperint.[1])

Cap. II.

De ornamentis triumphalibus sub Tiberio decretis.

§ 1. A. 15 decreta sunt triumphalia insignia A. Caecinae, praefecto copiis Germaniae inferioris, L. Apronio, legato Germanici, C. Silio, praefecto copiis Germaniae superioris, ob res cum Germanico gestas (Tac. ann. I, 72. IV, 18). Germanico paullo ante eodem anno triumphus de Germanis decretus erat (ib. I, 55).

1. A. Caecina Severus, consul suff. a. 9 a. Chr.[2]), a. 6 p. Chr. legatus Aug. pr. pr. Moesiae e provincia sua Tiberio contra Illyrios auxilium fert Breucisque ad Dravum flumen victis redit (Vell. II, 112, 4, Dio LV, 29. 30). Germaniae inferiori praefuit inde ab anno 14 (Tac. ann. I, 31) ad annum 16, ut videtur. A. 15 „quadragesimum id stipendium parendi aut imperitandi habebat" (Tac. ann. I, 64) — natus igitur est anno fere 42 a. Chr. — a. 16 in Germania cum Silio et Apronio[3]) fabricandae classi praeponitur (ib. II, 6), a. 17 quin cum Germanico de Cheruscis, Chattis, Angrivariis quaeque aliae nationes usque ad Albim colunt a. d. VII K. Jun. triumphanti (Tac. ann. II, 41. Suet. Cal. 1, Oros. VII, 4. Eckhel DN. VI, 209. Cohen: médailles impériales I (1880) p. 225, 7) Romam ingressus sit non dubito. A. 20 Pisone mortuo Ultioni aram statuendam censuit (Tac. ann. III, 18) eius-

---

[1]) vide supra part I, c. V. p. 11.

[2]) Borghesius (opp. IV, 461) loco Digest. I, 13, 1, 2: Caecina (pro: Porcina) legendum statuit. cf. Mommsen ad Dig. l. l.

[3]) sic ex Nipperdei certa coniectura pro ‚Anteio' legendum est.

demque a. 21 censentis, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur, sententia elusa est (ib. 33. 34). Haud dubie paullo post obiit.

2. L. Apronius, consul suff. a. 8, bello Pannonico solo anno 9[1]) cum Postumo videtur interfuisse et hac quidem militia ornamenta, quae a. 15 p. Chr. consecutus est, virtute meruit (Vell. II, 116). Legatus Germanici annis 15—16, a. 15 ad munitiones viarum et fluminum relinquitur, cum Germanicus in Chattos exercitum duceret (Tac. ann. I, 56), a. 16 cum Silio et Caecina fabricandae classi in Germania praeponitur (ib. II, 6) qua exstructa Romam ante initium belli rediisse videtur; nam a. 16 post Libonem mortuum in senatu sententiam dixit (ib. II, 32). Tres annos continuos Apronium provinciam Africam pro consule administrasse[2]) nummi (Eckhel D. N. IV, 148. Mionnet VI, p. 585, No. 26. 27. Müller: numismatique de l'ancienne Afrique II (1861), p. 155), quibus inest inscriptio: „permissu L. Aproni procos. III“ evincunt. Ibi a. 18 successit Furio Camillo (Tac. ann. II, 52. III, 1. 21), cum ipsum a. 21 Junius Blaesus sequeretur (Tac. ann. III, 35. 58). Post quae Romae versatus est, a. 22 ut fetiales quoque ludis maximis praesiderent, censuit, cui sententiae Caesar contradixit (ib. III, 64); a. 23 cum Aelio Lamia insontem C. Gracchum protexit (ib. IV, 13); a. 24 Plautium Silvanum, generum suum, quia coniugem Aproniam in praeceps iecerat, ad Caesarem traxit (ib. IV, 22). A. 28 legatus Aug. pr. pr. Germaniae inferioris C. Visellium Varronem secutus a Frisiis cladem accepit (ib. IV, 73. XI, 19). Quo usque ibi versatus sit quandoque obierit nescimus neque Taciti ex loco (ib. VI, 30): „Lentulus Gaetulicus, legatus superioris Germaniae a. 34, proximo quoque exercitui per L. Apronium socerum non ingratus“ etiam tum eum inter vivos fuisse concluserim.

3. C. Silius, pater C. Silii apud Tacitum: ann. XI, 12 sqq. memorati, consul a. 13, legatus Aug. pr. pr. Germaniae sup. fuit

---

[1]) vide supra part. II, c. I § 10. p. 29.

[2]) vide dedicationem propter Aproniorum, patris filiique, pugnam cum Gaetulis factam (eph. epigr. II, p. 264 sqq.).

inde ab anno 14 ad 21[1]) (Tac. ann. I, 31. III, 46. IV, 18). A. 16 cum Caecina et Apronio fabricandae classi in Germania praeponitur (ib. II, 6), irruptionem in Chattos facere iubetur (ib. II, 7), iterum Chattos (ib. II, 25) aggreditur. A. 21 tumultum Treverorum supprimit (ib. III, 42), Aeduos vincit (ib. III, 46. IV, 18). Nec tamen fructus percepit virtutis, sed a. 24 Silium aggressi sunt turpissimis dolis Seianus et Varro consul propter amicitiam Germanici ea saevitia, ut damnationem imminentem voluntario fine praeverteret (Tac. ann. IV, 18. 19. XI, 35. Dio LX, 31. Vell. II, 130).

§ 2. Transeamus nunc ad tres viros, qui provinciam Africam pro consule obtinuerunt, Furium dico Camillum, Junium Blaesum, P. Cornelium Dolabellam.

1. M. Furius Camillus, a. 8 consulatu functus, pro consule Africae a. 17 Tacfarinatem Numidam Maurumque Mazippam rebelles vicit multosque post annos.[2]) Furio nomini partum decus militiae, quamquam hic Furius bellorum expers habebatur. Eo pronior Tiberius res gestas in senatu celebravit et decrevere sponte[3]) patres triumphalia insignia, quod Camillo ob modestiam vitae impune fuit (Tac. ann. II, 52).

Pater Camilli Scriboniani fuit (Tac. ann. VI, 1), mortuus videtur esse a. 37 (cf. Hermes III, 133), quo in patris locum Marcus filius frater Arvalis nominatus est.

2. Junius Blaesus post praeturam pro consule Siciliam, probabiliter post annum 4, administravit (Bull. Nap. n. s. I, p. 87. Klein: „Verwaltungsb. I, 1 p. 100, No. 100), consul suff. a. 10 fuit, a. 14 legatus Aug. pr. pr. Pannoniae[4]) (Dio LVII, 4), ubi castris aestivis, quibus tres simul legiones habebantur, praesidebat (Tac. ann. I, 16) ac Drusum, Tiberii filium, in coercendo tumultu militum post mortem Augusti exorto adiuvit (Vell. II, 125, 4—5). Tiberii studio Africam pro consule a. 21 obtinuit (Tac. ann. III, 35), provincia prorogata (ib. III, 58) victoriam acta aestate a Tacfarinate a. 22 reportavit. Merito igitur triumphalibus hono-

[1]) vide Violet. l. l. p. 201.

[2]) cf. Nipperd. ad. T. A. II, 52, 10.

[3]) vide part. I, c. V. p. 11.

[4]) cf. C. I. L. III, 6407.

ratus est (Tac. ann. III, 72. Vell. II, 125, 4—5) nec multo post Pompei theatrum auctumno anni 22 incendio consumptum. Eidem tum Tiberius vocabulum imperatoris concessit postremum (Tac. ann. III, 74. Vell. l. l.). Haud dubie decus accepit auctore imperatore, quod evincitur verbis Taciti (ib. III, 72): „Caesar cum Junium Blaesum triumphi insignibus attolleret, dare id se dixit honori Seiani, cuius ille avunculus erat". Periit paullo ante Seianum a. 31 interfectum (Tac. ann. V, 7).

3. Nec tamen Blaesus bellum Numidicum confecerat, sed anno demum 24 Dolabella longo contra Tacfarinatem bello defunctus est. Nam priores duces, ubi impetrandis ornamentis triumphalibus res suas sufficere crediderant, hostem omittebant. Jamque duo viri[1]) triumphalia ob Tacfarinatem victum meruerant et adhuc vastabat Africam Tacfarinas cum Maurorum auxiliis (Tac. ann. IV, 23). Tum demum Dolabella[2]), qui pro consule Africam obtinebat (Müller: l. l. II, p. 156) a. 23—24, Junium Blaesum secutus (Vell. II, 125) finem armis imposuit Tacfarinate devicto atque interfecto (Tac. ann. IV, 25). Attamen „Dolabellae petenti abnuit triumphalia Tiberius", ut ait Tacitus (ann. IV, 26) „Seiano tribuens, ne Blaesi, avunculi eius, laus obsolesceret. Sed neque Blaesus ideo illustrior et huic negatus honor gloriam intendit, quippe minore exercitu insignes captivos, caedem ducis bellique confecti famam deportarat." Tiberium igitur, cum Dolabella litteris laureatis victoriam nuntiasset, in eam sententiam verba fecisse puto, ut senatores triumphalia decernere non auderent.

Eundem Dolabellam Tacitus (ann. III, 47) narrat a. 21 cen-

---

[1]) quodsi est apud Tacitum (ann. IV, 23): „iamque tres laureatae in urbe statuae et adhuc raptabat Africam Tacfarinas" cave, ne putes tres viros, quos intellegi vult, Camillum, Apronium, Blaesum, ob Tacfarinatem victum ornamenta triumphalia ideoque statuas laureatas adeptos esse. Immo memineris L. Apronium ea adeptum esse teste Tacito (ib. I, 72) in Germania a. 15. Itaque Tacitum (ann. IV, 23) falsum esse statuo neque facio cum Mommseno (eph. epigr. II, p. 268), Apronium ob res in Africa gestas denuo accepisse ornamenta triumphalia statuamque laureatam rato. Namque honorem iteratum silentio praeteriisse Tacitum vir doctus aegre cuiquam probabit.

[2]) cf. Nipperd. ad. T. A. III, 47.

suisse, ut ovans e Campania Tiberius urbem introiret, quam absurdam adulationem imperator triumphis satis multis ob res gestas decretis insignis litteris ad senatum missis se indignatum esse aperte profitetur. Praeterea Dolabellae „adulationem longius secuto“, cum de C. Silani fortuna a. 22 iudicium fieret, idem Tiberius contradixit (ib. III, 69). Inde fortasse, praeterquam quod Blaesi laudem obscurare noluit, repetendum est, quod Tiberius Dolabellae triumphalia abnuit quamvis consulatu functo a. 10.

Septemvir fuit epulo, sodalis Titiensis (C. I. L. III, 1741), post praeturam (C. I. Att. III, 1, 591) consulatumque legatus Aug. pr. pr. Dalmatiae (Illyrici superioris) a. 14—20 fuit (C. I. L. III, 1741. 2908. 3198—3201, Vell. II, 125) ibique vias aperuit Salonis in agrum Dalmaticum, Africam pro consule a. 23—24 tenuit. A 27 cum Domitio Afro Varum Quintilium, Caesaris propinquum, accusavit (Tac. ann. IV, 66) neque multo post annum 47 diem obiit (ib. XI, 22).

§. 3. Restat, ut de C. Poppaeo Sabino[1]) dicamus, consule a. 9, cui a. 26 decreta sunt insignia triumphalia propter contusas Thracum gentes (Tac. ann. IV, 46—51. VI, 39. XIII, 45). Auctore imperatore Sabino decus decretum esse ex Taciti verbis (VI, 39): „amicitia principis triumphale decus adeptus“ pro certo non affirmarim.

Quodsi Tacitus (ann. VI, 39) Sabinum fine anni 35 vita concessisse tradit per quattuor et viginti annos maximis provinciis impositum, sequitur secundum ea, quae de usu numeralium cardinalium cum praepositione ‚per‘ coniunctorum Violetus[2]) statuit, ut

[1]) Sieversius (Studien z. Gesch. der röm. Kaiser, Berl. 1870) p. 188 hunc Sabinum cum T. Flavio Sabino, fratre maiore Vespasiani, a. 69 mortuo (Tac. hist. III, 75) confundit.

[2]) Violetus l. l. p. 200—211 ex Taciti locis lectionis certae (ann. III, 28. 56. IV, 18. 58. Agr. 3) legem deduxit quam p. 236 ita exprimit: die Cardinalzahlen mit per bei Tac. heben die Continuität eines Vorganges innerhalb des genanntes Zeitraumes hervor; dieser gilt für die Rechnung immer als voll, und die taciteische Ziffer entspricht der Differenz der Kalenderjahre, quae observatio loco Taciti (ann. I, 9) non cadit (ib. p. 209 sq.). Haud recta igitur numerandi Nipperdeius (ad T. Ann. IV, 47) ratione uti videtur.

ab anno 11 Moesiae praefuerit, quae provincia ei a. 15 prorogata est additis Achaia[1]) ac Macedonia (Tac. ann. I, 80. V, 10). Moesiam utramque et Macedoniam per omnem fere Tiberii principatum ad mortem usque summo cum imperio obtinuit (Dio LVIII, 25), Moesiae summo cum imperio praefuit annis eis exceptis (annis 18—20, ut videtur), quibus a Pomponio Flacco consulari (Tac. ann. II, 41. III, 66) administrabatur, fortasse etiam eis exceptis (annis scilicet 17—18, 20—21), quibus Latinius Pandusa et P. Vellaeus, si quidem erant consulares ideoque non sub Sabino, Moesiam tenebant (Tac. ann. II, 66. III, 39), ut recte adnotat Nipperdeius[2]) ad IV, 47, 10. Sine dubio inde ab anno 22 summum ibi Sabinus imperium habuit eiusque legatus Pomponius Labeo annis 25—34 (Dio LVIII, 24, Tac. ann VI, 29. IV, 47) fuit. Pro consule Asiam Sabinum obtinuisse inscriptione Samia non evincitur.[3]) Fine anni 35 (Tac. ann. VI, 39. Dio LVIII, 25) iucundissime vita decessit, antequam aliquod ei crimen impingeretur. Nulla, ut ait Tacitus, eximia arte insignis, sed par negotiis neque supra erat.

§ 4. Absolutis singulis viris restat, ut summam paucis comprehendamus: Innotuerunt sex viri sub imperio Tiberii illud decus adepti, nonnulli auctore imperatore, omnes post consulatum ob res armis bene gestas.

§ 5. Ab his disiungendi sunt, qui prorsus alia de causa ornamenta acceperunt. Exstant enim excerpta ex editis a Valesio (p. 669) petita sedis incertae[4]); quorum argumentum hoc est: Tiberio imperante cunctis delatoribus non modo ingentem pecuniam, sed etiam honores decretos esse atque, qui alios prompte vexavissent aut iniquam de iis ferre sententiam non recusassent, alios statuas, alios ornamenta triumphalia, accepisse adeo, ut nonnulli viri boni, qui horum aliquo honorum digni essent iudicati, illos

---

[1]) Delphorum *πάτρων καὶ εὐεργέτης* appellatur in inscriptione Delphica (Waddingt. fast. I, No. 68).

[2]) cf. Zumpt l. l. II, p. 257 sq.

[3]) cf. Bullet. arch. 1866 p. 208. Nipperd. ad T. A. I, 80. Waddingt. fastes I, No. 68 (ὁ δῆμος Γάϊον Ποππαῖον Σαβῖνον Ἥρῃ).

[4]) vide editionis Dindorf. (Lips. 1865) vol. V p. 238.

accipere nollent, ne delatorum istorum similes fuisse viderentur posteris. — In delatores imprimis post Seiani coniurationem detectam saevientes haec quin cadant[1]), quamquam non dubito, ad omnes tamen per totum principatum Tiberii delatores triumphalibus honoratos pertinere evincunt verba „ἐπὶ Τιβερίου“ universe dicta. Infructuosum autem mihi videtur, si quis explorare velit, quinam delatores honores triumphales adepti sint. Quamvis enim de nonnullis ex magno eius generis hominum numero hic illic scriptores copiose narrent, certi vix quicquam enucleari poterit. Itaque hanc quaestionem mittere satius erit.

Caligula imperatore quam rationem senatus in decernendis ornamentis triumphalibus, si quae decreta sunt, secutus sit, prorsus ignoramus.

Caput III.

De ornamentis triumphalibus sub Claudio decretis.

De ornamentis triumphalibus Claudio regnante distributis aliquanto melius edocti sumus, ut certum iudicium ferre liceat. Videamus singulos.

§ 1. Ac primum quidem ipse Claudius memorandus est, primus qui videtur sub ipsius imperio istis honoribus ornatus esse. Est enim apud Suetonium (Claud. 17) Claudium, cum decretis sibi a senatu ornamentis triumphalibus leviorem maiestati principali titulum arbitraretur velletque iusti triumphi decus, unde acquireret Britanniam elegisse. Accuratius Dio (LX, 8) tradit libertos a. 41 Claudio imperatori modo facto persuasisse, ut ob nonnullas res in Mauretania prospere — a P. Gabinio (Dio LX, 8 cf. Lehmann: Philol. XI (1856) p. 391—396) — gestas, quamquam ipse nec ibi egerat quicquam nec quo tempore bellum confectum est, imperium capessiverat, tamen triumphalia acciperet. Decreta igitur sunt a. 41 a senatu Claudio imperatori, consulatu

[1]) cf. Borghes.: annali inst. arch. 1846, p. 338 = opp. V p. 28.

a. 37 defuncto (Dio LX, 2) propter bellum ab alio compositum (Dio LX, 8).

§ 2. 1) Sequitur Cn. Hosidius Geta[1]), cuius de vita pauca apud Dionem exstant, qui praebet haec: LX, 9: a. 42 (cf. 9, 1. 10, 1) Geta Suetonium Paulinum praetorium[2]), qui initio anni 42 ad Atlantem usque progressus erat (Dio. LX, 9. Plin. n. h. V, 1, 14) subsecutus Mauros (Jabalo duce) pluries vicit atque in loca deserta insectatus est, alioque loco (LX, 20): a. 43 legatus[3]) Auli Plautii Britannos paene captus tanta audacia superavit, ut, quamquam nondum consul fuerat, honoribus tamen triumphalibus donaretur. Accedit eiusdem Dionis locus gravissimus (LX, 23)[4]), unde Claudium senatoribus expeditione Britannica bene probatis, consularibus aliisque, triumphalia tribuisse cognoscimus, quo in numero quin Geta fuerit, non dubito. Consul suff. fuit X K. Octobr. post annum 43 (Dio. LX, 20) et ante annum 47, ut senatus consultum de aedificiis non diruendis Cn. Hosidio Geta L. Vagellio cos. factum docet.[5]) Num hic Hosidius Geta intellegi debeat idem ac quem Medeam tragoediam ex Vergilio exsuxisse Tertullianus (de praescript. haeret 39) tradit, incertum est (cf. Teuffel: Littg. § 370, 5.) Nec tamen omnes senatores, ut hoc statim absolvam, qui huic expeditioni interfuerunt, triumphalia acceperunt, ut Galba et Ti. Plautius Silvanus satis docent. Eodemque ex loco Dionis Claudio auctore Getae decus decretum esse meo iudicio efficitur.

---

[1]) cf. Pauly. R. Encycl. art. Hosidia gens. Hübner: Hermes XVI p. 525. 526 adn. 1.

[2]) videlicet legatum praetorium proconsulis Africae, ut recte Baehrius (Pauly. RE. VI, 2 p. 1476), Nipperdeius (ad T. Ann. XIV, 29, 7) coll. Tac. hist. IV, 48 putant cf. Lehmann: Philol. XI, p. 393. Schiller: Kaisergesch. I, 1 p. 322.

[3]) leg. legionis vicesimae (Lehmann: Claudius u. Nero, Gotha 1858) aut decimae quartae (Hübner: Hermes XVI, p. 525).

[4]) ἔνειμε δὲ τοῖς μὲν βουλευταῖς τοῖς συνεξετασθεῖσιν οἱ τὰς ἐπινικίους τιμάς, οὐχ ὅτι τοῖς ὑπατευκόσιν, ὅπερ καὶ ἄλλως ἀφθονώτατα καὶ ἐπὶ τοῖς ἐλαχίστοις ἐποίει.

[5]) vide Mommsen: epigr. Analekten (Ber. über d. Verh. d. kgl. sächs. Ges. d. Wiss., philol.-hist. Cl. IV, Leipz. 1852, p. 272—276. Lange: r. Alt. II³ p. 390.

2) Idem cadit in ceteros omnes, quibus Claudius ob expeditionem Britannicam triumphalia decernenda curavit eaque haud dubie ante triumphum. Suetonius enim (Claud. 17), ubi triumphum Claudii describit, tradit Claudium triumphantem secutos esse triumphalia ornamenta eodem bello adeptos, ceteros pedibus et in praetexta, Crassum Frugi equo phalerato et in veste palmata, „quod eum honorem iteraverat“. Parum accurate igitur Dio[1]) rerum ordinem servat, cum primum (LX, 23, 1) refert Claudium triumphasse, deinde (ib. 23, 2) istis ornamenta triumphalia eum tribuisse, quamquam triumphalia decreta esse post triumphum planis verbis ne Dio quidem prodit. Sed a senatu decreta sunt aut fine anni 43 una cum triumpho Claudio decreto (Dio. LX, 22, 1), quod magis crediderim, aut initio anni 44, procul dubio ante actum triumphum, postquam litteris ad senatum missis imperator exstitit auctor.

Jam suboritur quaestio, quinam triumphalia illa expeditione adepti Claudium triumphantem secuti sint. In hoc numero Getam fuisse verisimile est, probari nequit.

3. Procul dubio Crassus Frugi, comes Claudii, ut videtur, in Britannia, huc referendus est, cui uni imperator ut equo et veste palmata in triumpho uteretur permisit, quod eum honorem iteraverat (Suet. Claud. 17) i. e. quod iterum[2]) Crassus tum triumphalia adeptus est.

Hic Crassus Frugi[3]) consul est anni 27. In inscriptionibus

---

[1]) εἰκόνα, quem Dio LX, 23 Rufrio Pollioni, praefecto praetorii, tum Claudium tribuisse tradit, statuam triumphalem intellegendam esse Mommsenus (r. Str. I, p. 437) contendit, rectius O. Hirschfeld (Untersuchungen auf d. Gebiete der röm. Verwaltungsgesch. 1877 Berl.) I, p. 220, 8 alius generis statuam intelligit.

[2]) idem sentire modo vidi Hübnerum (Hermes XVI) 1881 p. 526. Quod si non probes, nihil relinquitur nisi ut ponas Crassum primum prosecutum esse Caligulam pridie Kal. Sept. a. 40 ovatione urbem ingredientem (Suet. Calig. 47. 48. Dio. LIX, 23, 25. cf. Suet. Cal. 8), tum iterum triumphantem imperatorem secutum esse a. 44.

[3]) cf. Schüssler: die Licinii Crassi der Kaiserzeit (Berl. 1878), p. 1 sqq., quam commentationem adipisci non potui. cf. Bursian. Jahresber. f. 1878 vol. XV, p. 520.

M. Licinius Crassus (C. I. L. II, 2633), aut M. Crassus Frugi (C. I. L. V, 4919. VI, 251) aut M. Licinius Crassus Frugi (Henzen act. Arv. p. XXXIII) dicitur, a scriptoribus modo M. Licinius (Tac. ann. IV, 27) modo Crassus Frugi (Suet. Claud. 17. Senec. apocol. 11) modo M. Crassus (Tac. hist. I, 14), modo Crassus (Senec. apocol. 11, Plut. Galb. 23). Itaque eum Mommsenus[1]), antequam adoptione in gentem Liciniam receptus sit, C. Calpurnium, L. f., Pisonem Frugi, ut est in titulis Atticis (C. I. Att. III, 601. 608), vocatum esse atque a M. Licinio Crasso adoptatum cognomen Frugi retinuisse probabiliter statuit. Curator locorum publicorum iudicandorum fuit (C. I. L. VI, 1266), praetor urbanus suff. a. 24 (fast. praetor. Bullet. arch. 1869 p. 123), minor natu fratrum, ad quos Horatius 'epistolam ad Pisones' misit, filius L. Pisonis pontificis a. 11 a Chr. triumphalibus honorati[2]), coniunx Scriboniae, pater[3]) M. Licinii Crassi Frugi cos. 64, a Nerone interfecti, Cn. Pompei Magni Liciniani a. 47 necati, Licinii Crassi Scriboniani, L. Calpurnii Pisonis Frugi Liciniani a Galba imperatore adoptati; a Nerone interfectus est (Plut. Galb. 23).

4. Ob virtutem in Britannia tum probatam Vespasianus quoque triumphalia accepit (Suet. Vesp. 4. Tac. hist. IV, 8. II, 77. 78), qui legatus legionis II (Tac. hist. III, 44) „tricies cum hoste conflixit, duas validissimas gentes superque viginti oppida et insulam Vectem in ditionem redegit, partim Auli Plautii, legati consularis (Suet. Vesp. 4. Dio LX, 20), partim Claudii ipsius ductu".[4]) A. Plautius autem cum usque ad annum 47 Britanniae praefuerit neque constet, quo anno Vespasianus ea, quae Suetonius affert, gesserit, crediderit quispiam Vespasianum, quippe qui et ipse ad id tempus in Britannia remanserit teste Dione (LX, 30, 1) triumphale decus non a. 43 vel 44, sed 47 simul cum ovatione Plautio decreta (Suet. Claud. 24. Tac. ann. XII, 31. XIII, 22. Dio LX, 30. Eutrop. VII, 13) adeptum esse. At, cum

[1]) ephem. epigr. I, p. 145. cf. Henzen: act. fr. Arv. p. 190. Nipperd. ad T. Ann. IV, 22. 45. 62.

[2]) v. supra part. II, c. I, § 3. p. 17.

[3]) cf. Schüssler l. l.

[4]) vide supra part. II, c. 1 § 6 adn.

teste Josepho (bell. Jud. III, 1, 2) Vespasianus res praeclarissimas a. 43—44 gesserit, nihil est, cur Vespasianum una cum reliquis ante triumphum Claudii triumphalia non accepisse putemus. Decus igitur accepit post praeturam a. 40 administratam (Suet. Vesp. 2) et ante fasces a. 51 gestos. Triumphantem Claudium secutus non est, quia in Britannia relictus est.

5. L. Junium Silanum, Octaviae, Claudii filiae, sponsum, triumphalibus honoratum esse ornamentis tres loci aperte declarant, quos deinceps proponere praestat. Tacitus enim (ann. XII, 3): „L. Silano“, inquit, „Octaviam Claudius desponderat iuvenemque et alia clarum insigni triumphalium et gladiatorii muneris magnificentia ad studia vulgi protulerat.“

Suetonius (Claud. 24): „Claudius“, inquit, „triumphalia ornamenta Silano, filiae suae sponso, nondum puberi dedit, maioribus vero natu tam multis tamque facile, ut epistola communi legionum nomine exstiterit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur.“

Denique Dio (LX, 31): „ὁ Σιλανὸς ἀνὴρ ἀγαθὸς ἐνομίζετο καὶ ὑπὸ τοῦ Κλαυδίου οὕτως ἐτιμᾶτο, ὥστε καὶ ἐπινικίους τιμὰς ἐν παισὶ λαβεῖν τήν τε θυγατέρα αὐτοῦ Ὀκταουΐαν ἐγγυήσασθαι καὶ πολὺ πρὸ τοῦ καθήκοντος χρόνου στρατηγῆσαι τήν τε πανήγυριν τὴν προσήκουσαν αὐτῷ τοῖς ἐκείνου τέλεσιν ποιῆσαι.“

Unde de tempore primum hoc concluserim Silanum triumphalia accepisse ante annum 47, quo epistola illa composita sit (Tac. ann. XI, 20), ante praeturam a. 48 gestam (Tac. ann. XII, 4) neque, quin paullo ante triumphum Claudii acceperit cum ceteris, quisquam, quamquam certum testimonium deest, dubitabit.[1])

Jam quaesiturus, quo aetatis anno ornamenta acceperit, tribus potissimum causis moveor:

prima, quod testibus Suetonio et Dione Silano nondum puberi (ἐν παισίν) data sint;

altera, quod secundum reliquias tituli Tiburtini in universum probabiliter a Mommseno[2]) in hanc formam restituti:

[1]) etenim iam a. 41, cum Octavia ei desponderetur (Dio LX, 5, Suet. Claud. 12) Silanum decoris participem factum esse ab omni probabilitate abhorret.

[2]) pro tradito numero XVIII Mommsenus (eph. ep. I, p. 63) iure

[L. Junius, M] f. M. n. Silanu[s Torquatus]
[honoratus an]n. XVII [triumphalib. ornam]
[q. pr. inter c]ivis e[t peregrinos, gener]
[Ti. Claudi] Caesaris Augus[ti]
anno aetatis XVII acceperit;

tertia, quod teste Dione (LX, 5) Claudius permiserit, ut quinque annis iusto maturius — altero loco (LX, 31): multo maturius — magistratus peteret.

Itaque, si re vera viginti quinque annos natus praetura — a. 48 (Tac. ann. XII, 4) — functus est, a. 23 lucem aspexit et annum vicesimum primum agens ornamenta (exeunte anno 43 vel ineunte 44) accepit, quocum neque illud „nondum pubes, ἐν παισίν" neque inscriptio conciliari potest Qui hancce rem tractaverunt viri docti, certo iudicio abstinuerunt varias vias ingressi. Mommsenus[1]) duplicem rationem proposuit: aut re vera quinque annis ante iustum tempus praetura Silanum functum esse verbisque „nondum puberi" et „ἐν παισίν" scriptores rem per se inhonestam exaggerasse ita, ut propriam huius vocis vim laeserint, prorsus spreta inscriptione arbitratur aut propriam vim tuendam ac Silanum ad praeturam admissum esse ante annum aetatis vicesimum quintum adaucto postea privilegio, id quod Cassius Dio vel eius epitomatores addere omiserint, ita ut annorum viginti unius iuvenis praetor fuerit. Henzenus[2]) in Dionis (LX, 5) de praetura loco acquiescit simulque addit cum ceteris, quae de eo cognita habeamus, non satis convenire, quod „annos natus XVII" ornamenta triumphalia obtinuisse dicatur. Denique Nipperdeius[3]) propriam verborum vim servans Silanum neque a. 44 annis sedecim maiorem natu fuisse et privilegium postea adauctum esse putat. Equidem sic

VII proposuit legendum, qui numerus ad ornamenta tr. non pertinere non potest. Quod Borghesius (annali inst. arch. 1849 p. 70 — opp. V, p. 229: lapide di Giunio Silano) traditum numerum XVIII nil aliud fuisse conicit quam XVIR stlit. iud., non video, quo modo litteram antecedentem ‚N' explicet. Accedit, quod hoc munere illum functum esse nusquam traditur. De ultimo tituli versu vide infra.

[1]) eph. epigr. I, p. 62 (1872) cf. Borghes. opp. V, p. 193.

[2]) ind. fr. Arv. p. 189.

[3]) ad. T. Ann. XII, 3.

sentio: magnopere cavendum est, ne hariolemur verba illa fortasse hoc loco proprio sensu non esse usurpata. Immo nodum ita expediam, ut statuam Silanum ea parte anni, qua triumphalia adeptus sit, haud dubie testibus Dione et Suetonio nondum puberem fuisse neque togam virilem sumpsisse[1]), sed decimum septimum aetatis annum — sic in titulo cum Mommseno corrigendum — egisse. Inde sequitur, ut Dio in fonte latino, quo sine dubio usus est[2]), numerum V pro vera scriptura X invenerit aut numerum X ibi neglegenter scriptum pro numero V habuerit, id quod facillime fieri potuit.[3]) Quod si verum est, a. 28 natus et iuvenis viginti annorum praetura a. 48 X annis ante iustum tempus functus sit necesse est, quae coniectura non parum eo commendatur, quod cum usum verborum istorum proprium tum inscriptionem respicit.

Decreta ei sunt triumphalia ut comiti Claudii in Britannia haud dubie, unde a socero Romam redeunti nuntius victoriae una cum Magno praemissus est (Dio LX, 21), postea utroque genero subnixus imperator Capitolium genu ascendit (ib 23).

L. Junius Silanus Torquatus, abnepos Augusti (Senec. apocol. c. 10), filius M. Silani consulis a. 19, frater Marci consulis a. 46 (Tac. ann. XIII, 1), gener Claudii destinatus est a. 41 (Dio LX, 5), quo imperator ei despondit Octaviam, filiam minorem haud dubie infantem.[4]) Reperitur inter Arvales (Henzen act. Arv. p. LV), flamen fuit Julianus (C. I. Att. III, 612)[5]), flamen Augusta-

---

[1]) cf. Marquardt: Privatleben der Römer I (Leipz. 1879) p. 122 sqq.

[2]) Cassium Dionem hic ex Plinii „historiis a fine Aufidii Bassi" hausisse putat Guilelmus Sickel (de fontibus a Cassio Dione in conscribendis rebus inde a Tiberio usque ad mortem Vitellii gestis adhibitis, Gottingae 1876) p. 35—36, 41—44 (cf. Alfr. de Gutschmid: litt. Centralbl. 1876 p. 1560), Tacitus Dionis fons non fuit (cf. C. A. Knabe: de fontibus historiae imperatorum Juliorum, diss. Hal. 1864 p. 39 sq.), certi vix quicquam enucleari poterit (Ferdin. Beckurts: zur Quellenkritik des Tacitus, Sueton und Cassius Dio: das Vierkaiserjahr, Altenburg 1880) p. 70.

[3]) cf. Tac. ann. VI, 11, ubi ex Nipperdei certa coniectura pro tradito numero XX scribendum est XV.

[4]) v. Nipperd. ad. T. A. XIV, 64, 2.

[5]) quem titulum Borghesius (ann. inst. 1849 p. 39 sq. = opp. V,

lis'[1] (ib.), praefectus urbis feriarum Latinarum causa (ib. et Dio LX, 5), triumvir monetalis, postea quaestor Claudii (C. I. Att. l. l.), a. 48 praeturam gessit inter cives et peregrinos (Tac. ann. XII, 4, titul. Tiburtin. cf. C. I. L. X, 3851). Agrippinae dolo insidiisque Vitellii ordine senatorio praetor motus adactus est eiurare magistratum (Tac. ann. XII, 4. Suet. Claud. 29), die nuptiarum Claudii et Agrippinae a. 49 mortem sibi conscivit (Tac. ann. XII, 8. Dio LX, 31. Senec. apocol. 8. 10. 11).

Vides igitur vinculum affinitatis Silano postremo periculosum fuisse. Atque inde repetendum censeo, quod, quamquam auctore imperatore Claudio triumphalia accepit, verba ‚auctore imperatore Claudio' etc. omissa sunt in titulo. Eademque causa motus mihi persuasi ne in ultimo quidem versu Claudii mentionem, ut vult Mommsenus l. l., esse factam, sed ita restituendum: abnepos Caesaris Augusti.

§ 3. Jam pauca addamus de largitione ornamentorum triumphalium a Claudio effusa.

Suetonius (Claud. 24) enim tradit haec: „Claudius triumphalia ornamenta Silano, filiae suae sponso, nondum puberi dedit, maioribus vero natu tam multis tamque facile, ut epistola communi legionum nomine exstiterit petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu et triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quaererent."

Quam epistolam acerbissimam a. 47 conscriptam esse apparet ex Taciti loco (ann. XI, 20): non multo post Cn. Domitium Corbulonem Curtius Rufus[2]) „ornamenta triumphalia adipiscitur, qui in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti. Quibus laboribus subactus miles et quia plures per provincias similia tolerabantur, componit occultas litteras nomine exercituum precantium imperatorem, ut, quibus permissurus esset exercitus, triumphalia ante tribueret." Quod Nipperdeius[3]) Suetonii loci ultimam partem ex Tacito corrigendam censet, obloquor. Immo

---

p. 198 sq.) perperam ad L. Silanum, Augusti adnepotem, Marci consulis a. 46 filium, revocat.

[1]) cf. H. Dessau: eph. epigr. III, p. 224.

[2]) vide infra part. II, c. III § 5. 6. p. 55 sqq.

[3]) ad T. A. XIII, 53.

alter locus alterum supplere mihi videtur, ita ut hic sensus fiat: milites exercitus Germaniae superioris, cum Claudius Silano nondum puberi, maioribus vero natu tam multis tamque facile triumphalia tribueret, occultis litteris communi legionum nomine a. 47 compositis vellicasse imperatorem honoribus olim praeclarissimis abusum ac rogasse, ut legatis consularibus, quibus permissurus esset exercitus, simul cum exercitu et triumphalia daret. Ita enim caveri, ne legati occasiones sive bello sive aliis rebus, ut recludendis argenti minis, gloriam adipiscendi quoquo modo quaerentes militum vires tererent. — Hac via illi loci facillime conciliantur. Claudii temporibus duces sine magno labore insignia triumphalia accepisse Cassius Dio (LX, 23)[1]) et Tacitus (ann. XIII, 53) expressis verbis profitentur: „quietae ad id tempus (i. e. annis 51—58 vel potius 51—57)[2]) res in Germania fuerant ingenio ducum, qui pervulgatis triumphi insignibus maius ex eo decus sperabant, si pacem continuavissent.“ Nec tamen ex his verbis concluserim neminem ex numero legatorum Aug. pr. pr. Germaniae istis honoribus annis 51—57 ornatum esse. Fortasse hic ille nulla victoria reportata propter praeclaram provinciae administrationem senatui vel imperatoribus dignus est visus triumphalibus ornamentis.

§ 4. Sequitur Servius Sulpicius Galba, is qui postea imperator factus est, teste Suetonio (Galb. 8) ob res in Africa et olim in Germania gestas ornamentis triumphalibus honoratus. Militari laude in Germania floruit (Tac. hist. I, 49, Plut. Galb. 3) a Caio Caesare Lentulo Gaetulico, legato Aug. pr. pr. Germaniae sup. (Tac. ann. VI, 30) substitutus (Suet. Galb. 6), qui cum autumno anni 39 interfectus esset (cf. Suet. Claud. 9. Dio LIX, 22. C. I. L. VI, 2029; Henzen: Scavi p. 8) Galba a. 39 legatus Aug. pr. pr. Germaniam ingressus est. Ibi Chattis initio anni 41 victis (Dio LX, 8)[3]) a Claudio imperatore facto Romam revocatus est.

[1]) vide supra part. II, c. III § 2. p. 47.

[2]) cf. Nipperd. ad T. A. XIII, 53.

[3]) legitur apud Dionem: καίτοι καὶ τούτῳ τῷ ἔτει (a. 41) ὅ τε Πούπλιος Γαβίνιος Μαυρουσίους ἐκράτησε καὶ Γάλβας ὁ Σουλπίκιος Χάττους νικήσας τά τε ἄλλα εὐδοκίμησε καὶ ἀετὸν στρατιωτικὸν, ὅς μόνος ἔτι παρ' αὐτοῖς ἐκ τῆς τοῦ Οὐάρου συμφορᾶς ἦν, ἐκομίσατο. Hanc codicum lectionem integram retinendam esse satis effecit Lehmannus (Philol. XI, p. 391

Qui in Germania successit, P. Gabinius Chaucos vicit (Suet. Claud. 24) ac cognomen Chaucii meruit. Triumphalia ei decreta esse nusquam traditur.[1]) Galba, postquam expeditioni Britannicae interfuit, pro consule Africam (Plut. Galb. 3) biennio obtinuit extra sortem electus ad ordinandam provinciam et intestina dissensione et barbarorum tumultu inquietam (Tac. hist. I, 49. Suet. Galb. 7) singulari cum imperio (Schiller: Kaisergesch. I, 1 p. 322 adn. 2) eamque annis 45/46 et 46/47 Galbam administrasse Pighius (annal. III, p. 575) iure inde concludere videtur, quod inde a Tiberii principatu provinciae senatoriae decem vel potius pluribus annis post consulatum administrari solebant, ut satis multis exemplis comprobatur (Bullet. inst. arch. 1846 p. 173).[2]) Triumphalia certo virtute militari adeptus est consularis[3]) anno, ut videtur, 47.

§ 5. A. 47 triumphalia ornamenta accepit Cn. Domitius Corbulo[4]), legatus Aug. pr. pr. Germaniae inferioris, cui principium illa militia fuit, non quo quicquam memoratu dignum armis gessisset (Tac. ann. XI, 18—20) aut bello defunctus esset, sed imprimis aliam ob causam: Claudius enim impetum Corbulonis in Germanias prohibuit veritus, ne, ut erat dux virtute militari ac consiliis praeter ceteros insignis, Germanis victis rerum potiretur (Tac. ann. XI, 19). Ornamenta autem triumphalia „indulsit“ imperator, quamvis bellum negavisset (Tac. ann. XI, 20. Dio LX, 30). Claudius num auctor ipse exstiterit, iudicare non ausim: aut senatus Domitium imprimis ob provinciam sapienter admi-

—396) contra Mamertium (Germ. p. 103) verba „Πόπλιος Γαβίνιος“ et Γάλβας ὁ Σουλπίκιος“ inter se commutantem, quam coniecturam a Wietersheimio (Ber. über d. Verh. d. kgl. sächs. Ges. d. W. philol.-hist. Cl. I, 1849 p. 176 sqq.) denuo defensam I. Bekker et Dindorfius in editiones quod receperunt dolendum est.

[1]) cf. Borghes. opp. III, p. 326. V, 44 sq. 577.

[2]) cf. Borghes. opp IV, 536. Hübner: Hermes XVI, p. 524. Lehmann: l. l. Schiller: Kaisergesch. I, 1 p. 321 sq.

[3]) consul I fuit a. 33.

[4]) cf. Haackh: Pauly. RE. II, p. 1218. J. G. Vossius: de histor. lat. I, c. 25. Ersch-Gruber: Encycl. vol. 19 art. Domitius. J. Held: de Cn. Dom. Corb. (Progr. Suidnicii 1862). Wolffgramm: Cn. Dom. Corbulo (Progr. Prenzlau 1874). Henzen: act. fr. Arv. p. 185.

nistratam ornamentis dignum censuit neque Claudius contradixit, quod quidem convenit cum Taciti voce „indulsit" aut Tacitus ea voce animum Claudii in Corbulonem depingit ita, ut hic sensus fiat: Claudius quamvis invitus, palam tamen, ut invidiam obtegeret, libens sponte auctor exstitit senatus consulti, eodem consilio, quo postea Domitianus est usus.[1])

Superioribus temporibus Cn.[2]) Domitius Corbulo[3]), filius Vestiliae et, ut Wolffgrammius[4]) probabiliter opinatus est, Pomponii, frater Suillii Rufi et Caesoniae, Caligulae imperatoris uxoris (Plin. n. h. VII, c. 5 § 39) in familiam Domitiorum adoptatus, ante annum 21 cum praetura functus sit (Tac. ann. III, 31), circa annum 9 a. Chr. natus esse debet. Sub Tiberio et Caligula praepositus inquisitioni de fraudibus mancipum et incuria magistratuum per vias Italiae severitate tum inusitata nutu imperatorum in omnes curatores mancipesque viarum neglegenter hoc munere functos saeviebat (Tac. ann. III, 31. Dio LIX, 15), qua opera a. 39 consulatum meruit. Hoc tamen remotus est cum collega, quod ferias in diem Caligulae natalem non indixissent et propter Augusti

---

[1]) vide infra part. II, c. VI § 1.

[2]) Tacitus praenomen eius semper omittit.

[3]) Nipperdei (ad T. A. III, 31, 6) opinionem conicientis ducem Corbulonem esse filium Corbulonis ante annum 21 praetura, a. 39 consulatu functi, itemque Merivalii (Gesch. d. Römer unter d. Kaisertum III, p. 296, 367) non eundem esse opinantis, Wolffgrammius l. l. p. 8—13 iure ita refutat, ut comprobet: primum hunc non filium unius ex tribus Vestiliae maritis (Herdicii. Pomponii, Orfiti) apud Plinium (n. h. VII, 5, 39) deinceps nominatis esse non posse ac Nipperdeium (ad III, 31, 6. IV, 31, 16) sibi ipsum contradicere; deinde ex Taciti loco, quo de dissensione inter Corbulonem et L. Sullam a. 21 exorta dicat (ann. III, 31: pro Corbulone aetas erat) nil sequi nisi ut Sulla iste minor natu Corbulone fuerit; tum ea, quae de aetate Suillii Rufi et Caesoniae innotuerint, non impedire, quominus Corbulo frater Rufi, eadem matre ac Caesonia natus sit: postremo ingenium a Tacito laudatum (ann. XIII, 8: experientia, sapientia) et cognomen Corbulonis, quod patri deerat, denique omnia quadrare ad sententiam probandam, qua de uno Corbulone cogitaverit. cf. Bursian. Jahresber. f. 1876 vol. 7. p. 265.

[4]) l. l. p. 9.

de Antonio victoriam diem festum more egissent (Dio LIX, 20). Postea a Claudio partem pecuniarum exactarum restituere coactus est (Dio l. l.). Nec tamen Claudius, cum Germaniae inferioris res anxiae fortem ducem efflagitarent, Corbulonem provinciae maximi tum momenti praeficere dubitavit, quin etiam triumphalia ei tribuit. Postea a. 51 vel 52 provinciam Asiam pro consule administravit, ut nummi testantur[1]), inde ab anno 54 fuit legatus Augusti pr. pr. in Cappadocia[2]), cuius imperio tum Galatia subiecta erat (Tac. ann. XIII, 8. 35). ibique loco virtutibus patefacto multa contra Vologaesen eiusque fratrem Tiridaten in Armenia gloriosissime gessit[3]) (Tac. ann. XIII, 8. 34 sqq. XIV, 23 sqq XV, 3—6. 9—17. 25—30. Dio LXII, 19 sqq. Plin. n. h. VI, c. 8, § 23), solis defectum a. 59 observavit (Plin. n. h. II, c. 70, § 180), proxime vidit Euphratis fontem (ib. V, 24 § 83). Haud dubie res ab ipso in Oriente gestas Corbulo cum epistolis ad Neronem missis (Tac. ann. XV, 3), tum commentariis (ann. XV, 16, Plin. n. h. 1, 5—6) descripsit itaque Plinio Tacitoque materiam praebuit.[4]) Inde ab anno 60[5]) Ummidio legato mortuo Syria ei permissa est (Tac. ann. XIV, 26). Unde Neronis nutu, qui tum in Graecia versabatur cum obsecutus[6]) advenisset, imperatoris iam pridem invidi iussu grandaevus ipse se interfecit initio anni 67 (Dio LXIII, 17. Tac. hist. II, 76) Vespasiano exeunte anno 66 (Joseph. b. Jud. III, 4, 2) successore destinato.[7]) Imaginem Corbulonis et inscriptionem[8]), quae exstant Gabiis in templo filiae Domitiae, uxoris Domitiani imperatoris, memorasse satis habeo.

---

[1]) vide Waddington: fastes I, no. 82 p. 127.

[2]) legatus Augusti pr. pr. appellatur in inscriptione Armeniaca a. 63-64 exarata, cf. Mordtmann: Hermes XV, (1880) p. 289 sqq. Mommsen: ib. p. 294 sqq. r. Str. II, p. 821 A. 3 1099 A. 4.

[3]) vide Egli: Feldzüge in Armenien von 41—63 (Büdingers Unters. zur röm. Kaisergesch. I (Leipz. 1868).

[4]) cf. Held: l. l. p. 22—27. Egli l. l. p. 333—340.

[5]) cf. Nipperd. ad T. A. XI, 18. XII, 45, 12.

[6]) arma in Neronem vertere non audebat, cuius invidia Corbulonem fugere vix poterat (Tac. ann. XV, 28. cf. Wolffgramm l. l. p. 7.

[7]) cf. Wolffgramm p. 7 adn. 6. Zumpt l. l. II, p. 142.

[8]) Orelli 775.

§ 6. Non multo post Corbulonem Curtius Rufus[1]), legatus Aug. pr. pr. in Germania superiore, triumphalia adeptus est a. 47, quia in agro Mattiaco recluserat specus quaerendis venis argenti. Vides igitur ornamenta triumphalia non solum ob virtutem armis probatam decreta esse Claudio principe, sed etiam ob alius generis merita, ut optime cum eis praemiis, quae nos dicimus „Orden" comparari possint. Atque auctore Claudio imperatore Rufo decus decretum esse inde concluserim, quod milites, postquam duci honos contigit, ea ipsa de causa Claudium epistola supra commemorata vehementer carpserunt. Consulem suff. eum cum M. Pompeio Silvano a. 45 fuisse summa cum probabilitatis specie coniecit Kleinius coll. Joseph. ant. Iud. XX, 1, 2. Plin. ep. VII, 27. cf. eph. ep. II, p. 349 no. 563 cum adnot. Momms.). Certo a. 47 consularis fuit, quoniam neutra Germania nisi consularibus permittebatur.[2])

Humili loco natus primum comes quaestoris provinciae Africae (Tac. ann. XI, 21, Plin. ep. VII, 27, 2) fuit, deinde largitione amicorum, simul acri ipsius ingenio factum est, ut quaesturam paulloque post suffragio Tiberii praeturam assequeretur: tum consulatum, triumphalia adeptus Africam pro consule obtinuit ibique diem obiit. (Tac. l. l. Plin. l. l.). Qui si idem fuisset ac Q. Curtius Rufus, historiae Alexandri Magni Macedonis scriptor, sine dubio Tacitus hoc loco, ubi satis copiose vitam et mores describit, studiorum eius mentionem implicuisset. Accedit, quod exigua rei militaris scientia, qualem auctor in describendis pugnis ostendit, et sermone interdum liberiore quam pro imperatorio magistratu (velut VIII, 10, 12) opinio commendatur historiae scriptorem ab hoc Curtio esse distinguendum (Nipperd. ad XI, 20. Teuffel: r. Littgesch. § 292).

§ 7. A. 50 P. Pomponio Secundo, legato Aug. pr. pr. Germaniae sup. ob Chattos tum victos (Tac. ann. XII, 27—28) decretus est honos triumphalis, modica pars famae eius apud posteros, ut ait Tacitus, in quibus carminum gloria praecellit. Intellegendus igitur est morum elegantia et ingenio illustri notissimus

[1]) vide supra part. II, c. II, § 3. p. 53. Ind. Plin. p. 408.
[2]) cf. Marquardt: r. Staatsverw. I, p. 123.

tragoediarum scriptor[1]), consul[2]) suff. anni 44, quem, cum a. 31 propter amicitiam Aelii Galli, filii Seiani, accusatus ad mortem usque Tiberii in custodia retentus esset (Tac. ann. V, 8. VI, 18), a Caio demum demissum esse a. 37 Dio (LIX, 6) et Tacitus (ann. V, 8) tradunt. Accepit igitur triumphalia ob hostes devictos neque auctorem senatus consulti imperatorem exstitisse cur putemus causam video, quamquam ne contrarium quidem probari potest.

§ 8. Restat P. Ostorius Scapula.

Qui quo anno triumphalia adeptus sit, e Taciti loco quodam elicere possumus. Testatur enim (ann. XII, 31—40) in digressione narrationi inserta, ubi de rebus Britannicis agit (ib. XII, 38), Ostorio triumphi insignia censa esse prosperis ad id rebus. Nam Caratacum, ducem Britannorum, ceperat nono anno postquam bellum in Britannia coeptum est. Itaque, cum teste Dione (LX, 19) bellum a. 43 exortum sit, recte iam Wexius[3]) et Nipperdeius[4]) statuerunt Caratacum a. 51 captum esse, quae opinio duabus causis certissima fit: primum, quod haec optime conveniunt cum iis, quae Violetus[5]) de usu numeralium ordinalium Taciteo explanavit, deinde, quod arcus triumphalis[6]) Claudio cos. V (a. 51), trib. pot XI (a. 51—52) ob devictos sine ulla iactura reges Britanniae undecim exstructus est secundum inscriptionem in arcu servatam (C. I. L. VI, 920 et p. 841). Quare, si Hübneri[7]) coniecturam verissimam secuti ponimus aestate vel auctumno anni 51 — nec iam vere — Romanos Carataco potitos esse, Ostorio Scapulae principe totius belli sublato sine dubio altera anni parte decus contigit. Huic sententiae obstare videtur locus Taciti (hist.

[1]) cf. Tac. ann. V, 8. XI, 13. XII, 27—28. dial. 13. Plin. n. h. VII, 80. XIII, 83. XIV, 56. Quint. X, 1, 98. Teuffel: r. Littgesch. § 284, 7.

[2]) errat Dio (LIX, 6) P. Pomponium cum Quinto fratre, consule suff. anni 41 (Dio LIX, 29) confundens. v. ind. Plin. p. 423.

[3]) Prolegg. ad Tac. Agr. p. 186 cum adn.

[4]) ad T. A. XII, 36.

[5]) l. l. p. 177 sqq.

[6]) cuius inscriptionis editores Caratacum a. 50 captum falso adnotant. cf. Nipperd. ad T. A. XII, 38.

[7]) Rh. Mus. XII (1857) p. 47. Violet. l. l.

III, 45): „Cartimandua Brigantibus imperitabat, pollens nobilitate, et auxerat potentiam, postquam capto per dolum rege Carataco instruxisse triumphum Claudii Caesaris videbatur“, sed videtur tantum obstare. Neque enim hunc locum ita interpretari licet, ut existimes Caratacum re vera a Claudio a. 44 triumphanti ductum esse. quod si significare Tacitus voluit, quid ni scripserit: „instruxit triumphum“ me non intellegere profiteor. Ex una igitur voce ‘videbatur’ satis perspicitur triumphum istum a. 44 actum Carataco a. 51 capto et magna cum pompa Romam introducto, ut in triumphis fieri solet, (Tac. ann. XII, 36) tamquam suppletum esse, id quod Heraeus (ad Tac. hist. III, 45) quoque sibi persuasit. Facit mecum etiam Suetonius, qui triumphum Claudii copiosius describens (Claud. 17) Caratacum non commemorat. Denique non est, cur Tacitum (hist. III, 45) arcus triumphalis inscriptione neglecta mirum quantum erravisse putemus. Quae cum ita sint, P. Ostorius Scapula triumphalia quin a. 51 adeptus sit non dubito; meruit ea virtute egregia. Consularis[1]) tum fuit haud dubie, quod Britanniae nonnisi consulares praepositos esse constat (Tac. Agr. 14). Primus Aulus Plautius legatus consularis pr. pr. Britanniam obtinuit, subinde Scapula (Tac. Agr. 14) et quidem inde ab anni 47 hieme coepta (cf. Tac. ann. XII, 31 cum adnot. Nipperd.), postquam Aulus Plautius ovatione urbem ingressus est.[2]) Ibi summa rei militaris scientia per singulos annos probata effecit, ut a. 51 principes belli amoverentur. Nec tamen hostium vis fracta est itaque taedio curarum fessus Ostorius decessit vita anno, ut videtur, 52.

§ 9. Fortasse ob expeditionem Claudii Britannicam ornamenta accepit is, ad quem pertinet inscriptio Histonii, urbis in finibus Frentanorum sitae, adeo corrupta, ut etiam vir sagacissimus Mommsenus de emendatione videatur desperasse:

---

[1]) senatus consultum Claudianis temporibus Suillio Rufo et Ostorio Scapula consulibus factum memoratur in Digest. XXXVIII, 4 pr. Inst. III, 8, 3.

[2]) vide supra part. II, c. I, § 10, 5. p. 36 sq. Hübner: Rh. Mus. XII, p. 48.

C.I.L. IX, 2847. HISTONII.

CIV . . . . . ID . . . . . | REGI. SACror. FLAM . . . . | PATRIC. LEG. CAESARIS. PRO . . . . | CLAVDI. IN. BRITANNIA. AD . . . . | RO. PR. IN. HIBERIA. AD. SEL . . . . | ORNAMENTA. TRIVMPH . . . .

Videamus nunc, quid tandem ex inscriptione concludere nobis liceat.

Haud dubie primum fuit legatus Caesaris, deinde — videlicet praeter quaesturam, tribunatum plebis aut aedilitatem, praeturam — aliis muneribus, quae explorari nequeunt, functus est, legatus vel comes fuit Claudii in Britannia, praeterea legatus consularis pr. pr. Hiberiam obtinuit. Ornamenta eum triumphalia in Hiberia meruisse inde fortasse collegeris, quod paullo ante de hac provincia sermo est. At conferas quaeso inscriptiones ad Cn. Pinarium[1]), Severum Faustinum[2]), Licinium Suram[3]) pertinentes, quibus ornamenta triumphalia loco extremo leguntur, quamvis nequaquam ob magistratum proxime antecedentem decreta sint, sed ob merita multo supra commemorata. Potest igitur ea meruisse sive in Britannia sive in Hiberia sive alicubi Claudii aut successorum temporibus. Neque enim minus incertum videtur, utrum Claudio superstes fuerit necne. Quid enim? nonne cogitari potest in lacuna ante vocem „Claudi“ vocem „divi“ incisam fuisse? Sine dubio inter patricios receptus est isque, antequam rex sacrorum est factus, quoniam hoc fungi munere nemini nisi patricio licuisse Cicero (pro domo XIV, 48), Livius (VI, 41, 9) docent. Regem autem sacrorum illum post omnes magistratus administratos fuisse verisimillimum mihi videtur ea de causa, quod regi sacrorum magistratu fungi nunquam licuit[4]) (cf. Dionys. IV, 74. V, 1. Plut. q.

[1]) vide infra part. II, c. V, § 4.

[2]) vide infra part. II, c. VII, § 4.

[3]) vide infra part. II, c. VII, § 1.

[4]) itemque Cn. Pinarium Severum (inscr. ap. Murat. 329, 1 = 358, 2) post consulatum regem sacrorum fuisse probabiliter statuerunt Henzenus (Bull. arch. 1868 p. 160) Marquardtius (r. Staatsverw. III, p. 308—309), cum Mommsenus (r. Str. I^2 p. 464) imperatorum quidem temporibus regem sacrorum ad magistratus admissum esse ex his duabus inscriptionibus concluserit.

Rom. 63. Liv. II, 2. XL, 42. Fest. p. 185. Lange: r. Alt. I, p. 375. Marquardt: r. Staatsverw. III (1878) p. 308—309).

Titulus, quem ad hominem referendus sit, magna opera navata indagare non potui.[1])

§ 10. Innotuerunt igitur decem homines, ut summam complectamur, sub Claudio triumphalibus honorati: ipsi Claudio imperatori ob res ab alio duce gestas decreta sunt eodem fere modo, quo saepius Augusto triumphi (monum. Ancyr. I, 22—23. Dio. LIII, 26. LV, 6. LI, 25. LVI, 17) Getae, Vespasiano ante consulatum, Silano nondum puberi, septem reliquis post consulatum eaque Curtio Rufo ob reclusum specus; Crasso Frugi iterum obtigerunt. Claudius imperator senatorum studio, Geta, Crassus Frugi, Vespasianus, Silanus, Curtius Rufus haud dubie auctore imperatore decus adepti sunt, fortasse etiam Corbulo, de reliquis auctorem imperatorem exstitisse senatus consulti scriptores nihil tradunt.

Caput IV.

De ornamentis triumphalibus sub Nerone decretis.

§ 1. Innotuerunt tres tantummodo viri triumphalibus tunc honorati, de quibus Tacitus (ann. XV, 72) — annus est 65 — affert haec: (Nero) „quasi gesta bello expositurus vocat senatum et triumphale decus Petronio Turpiliano consulari, Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino praefecto praetorii, tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens, ut super[2]) triumphales in foro imagines apud Palatium effigies eorum sisteret“.

Quod factum est paullo post Pisonis coniurationem mense Aprili detectam (Tac. ann. XV, 53. 74) et post M. Vestinum

[1]) cf. Hübner: Rh. Mus. XII (1857) p. 47. Hermes XVI (1881) p. 525.

[2]) Friedlaenderi (Darstellungen aus der Sittengesch. Roms Leipz. 1881[5], III, p. 229) huius loci interpretatio: „über den Triumphalstatuen auf dem Forum“ ferri vix potest, vertendum est: „ausser“, cf. Tac. ann. IV, 44 init.

Atticum, eius anni consulem ordinarium, interfectum (ib. 68—69), qui quidem ante idus Aug. necatus sit necesse est, cum illo die iam consules suffectos C. Pomponium, C. Anicium fuisse inscriptio amphorae Stabianae (C. I. L. IV, 2551) doceat. Quam ob rem ornamenta acceperint, Tacitus non addit. Equidem non dubito, quin istum honorem ut praemium inimicorum Neronis e medio tum sublatorum sint adepti. Sed haec utut sese res habet, certe rerum armis gestarum vestigium nullum — ne in titulo quidem Nervae infra allato — invenies, quin etiam Taciti verba „quasi gesta bello expositurus vocat senatum“ de virtute bello probata cogitare non sinunt.[1]) Quod Tacitus „tribuisse“ ea Neronem dicit, concluserim auctore imperatore tribus illis ornamenta esse decreta.

Videamus singulos.

1. P.[2]) Petronius Turpilianus, anni 61 mensibus Januario et Februario consulatu functus, — Kalendis enim Martiis ei sufficitur P. Calvisius Ruso (C. I. L. VI, 597. eph. ep. I, 74) — eodem anno[3]) legatus Aug. pr. pr. factus est Britanniae (Tac. ann. XIV, 39), Suetonium Paulinum subsecutus, ubi bello a prioribus ducibus confecto nihil ultra ausus est (Tac. Agr. 16). Ad annum 62 Britanniae praefuit[4]), Trebellio Maximo provinciam tradidit (Tac. Agr. 16). Curator aquarum fuit C. Memmio Regulo L. Verginio Rufo consulibus (Frontin. aqu. 102) i. e. a. 63. Initio anni 65 haud dubie Romae versabatur. Haackhius[5]) autem Petronium ob Britanniam administratam ornamenta triumphalia accepisse ratus quo argumento nitatur, equidem investigare non possum. Praeterea considerandum est eum anno iam 62 provincia decessisse.

De posterioribus eius annis nihil fere aetatem tulit. A. 68

---

[1]) haud recte igitur iudicat Giesen (de imperatoris M. Coccei Nervae vita, Progr. Bonn. 1865) c. 1. fin.

[2]) praenomen ‘Publius’ unus servavit Phlegon mir. 20.

[3]) cf. Hübner: Rh. Mus. XII, p. 49. Jul. Asbach: analecta historica et epigraphica latina p. 8 sqq.

[4]) Hübnerum (ib. p. 49) Frontini locus l. fugit.

[5]) in Pauly, R. Encycl. art. Petronii no. 12.

inauditus atque indefensus, quia dux Neronis fuerit, in urbe a Galba interficitur (Tac. hist. I, 6. 37. Plut. Galb. 15. 17).

2. Taciti locus (ann. XV, 72), quod attinet ad triumphalia Nervae tributa confirmatur inscriptione paucis a Borghesio[1]) tractata:

Wilmanns Ex. I, 929 = Henzen 5435 SAXOFERRATI. M. COCCEIVS. m. f. . . . Nerva cos | AVGVR. SODALis. august . . . . quaest | VRB. VI. VIR. TVRMAe eq. r . . . . . salius | PALAT. TRIVMPHALIBus ornamentis | HONORATVS PATRONus . . . . . VETVSTATE CONLAps . . . .

Vides in titulo, quamquam auctore imperatore triumphalia Nervae decreta esse statuimus, verba „auctore imperatore Nerone" frustra quaeri. Et profecto verba illa cur omissa sint, nemo non videt. An putamus cuivis honori post Neronem sublatum futurum fuisse, si Neroni a senatu damnato decus eum debere inscriptio prae se ferret? Itaque non est, cur miremur in inscriptione procul dubio post Neronis mortem exarata verba illa deesse. Praetor designatus, anno aetatis tricesimo quarto[2]) ornamentis triumphalibus et praeter triumphalem in foro Romano statuam effigie in Palatio honoratus est, quarum in inscriptione nulla fit mentio.

3. Sofonius Tigellinus[3]), socer Cossutiani Capitonis (Tac. ann. XIV, 48. XVI, 17), primum praefectus vigilum, a. 62 una cum Faenio Rufo in locum Afranii Burri, praefecti praetorio, successit (Tac. ann. XIV, 51, Dio LXII, 13, a quo falso Tigellinus Σωφρόνιος appellatur), moribus turpissimis, validissimus apud Neronem (Tac. ann. XIV, 48. 57. 60. XV, 37. 50 sqq. XVI, 14. 17. 19. hist. I, 24, Dio LXII, 15. 27), cuius gratia ornamenta triumphalia et praeter triumphalem in foro Romano statuam effigiem in Palatio consecutus est (Tac. ann. XV, 72). Imperatorem cum a. 68 prodidisset (Plut. Galb. 2, cf. Schiller: Nero p. 283),

[1]) annali inst. arch. 1846 p. 339 sq. = opp. V, p. 29.

[2]) natus est anni 32 die XVI mensis Martii (Giesen l. l. p. 4.)

[3]) vide indicem praefectorum praetorio usque ad Diocletianum in Ottonis Hirschfeld libro: Untersuchungen auf d. Gebiet der röm. Verwaltungsgesch. I (1877) p. 221. Giese: de personis a Martiale commemoratis (Gryphisw. 1872).

a Nymphidio Sabino, Rufi successore, munere remotus T. Vinii opera servatus est (Plut. Galb. 17). Proximo anno Sinuessae Othonis iussu sese interfecit (Plut. Oth. 2. Tac. hist. I, 72).

§ 2. His tribus exemplis absolutis aggrediamur ad locum Suetonii (Ner. 15), quo de ratione in tribuendis ornamentis triumphalibus omnino a Nerone adhibita optime edocemur et qui tribus illis exemplis satis illustratur: „Triumphalia ornamenta“, inquit, „etiam quaestoriae dignitatis et nonnullis ex equestri ordine tribuit nec utique de causa militari“.[1]) Namque Petronio Turpiliano consulari, Nervae quaestoriae dignitatis, Tigellino fortasse equestri (Mommsen: r. Str. I² p. 450) ornamenta tributa sunt, ut modo exposuimus, non de causa militari, sed aliis de causis, quas Tacitus l. l. non explicat. Idem Suetonii locus certissimo est documento praeter tres illos sub Neronis principatu alios quoque triumphalibus ornatos esse. In hoc numero certe M. Aponius Saturninus[2]) fuit, quem anno 66 aut 67 aut 68 incerta de causa ornamentis honoratum esse supra[3]) demonstrasse mihi videor.

Hieme anni (68—)69 ob Rhoxolanos devictos Aponius, consularis legatus Aug pr. pr. Moesiae, statua triumphali donatur (Tac. hist. I, 79), pessimum facinus audet (ib. II, 85), defectionem legionis III Vitellio nuntiat (ib. II, 96. V, 26), in Italiam cum exercitu Moesico Vespasiani iussu celerat (ib. III, 5), cum legione VII advenit (ib. III, 9), periclitatur legionum tumultu prope Veronam et Patavium concedit (ib. III, 11).

Utrum sub Galba, Othone, Vitellio triumphalia decreta sint necne ignoratur.

---

[1]) proxima verba: „de quibusdam rebus“ ad sequentia pertinent et integra retinenda sunt, ut iam docuit Richterus l. l. p. 14. adn. m., vide Rothii editionem (vitae Caes. rec. Lips. 1877), cf. Burmanni (ed. 1736), Wolfii (ed. 1802), Bremii (ed. Zürich 1820) adnott. ad h. l.

[2]) cf. Pauly: R. E. I, 2 p. 1328.

[3]) p. 9 sq.

Caput V.

De ornamentis triumphalibus sub Vespasiano decretis.

§ 1. Primus commemorandus est C. Licinius Mucianus.[1]) Huic a. 69 ornamenta triumphalia urbe a Vespasiani copiis capta multo cum honore verborum decreta sunt re vera de bello civium, sed in Sarmatas expeditio fingebatur (Tac. hist. IV, 4). Puduit nimirum Romanos triumphalia ob sanguinem civium Romanorum effusum decernere. Quapropter liberae reipublicae temporibus de bello civili sola ovatio nec triumphus plerumque decernebatur aut, si quis bello civili meruit triumphum, alia fingi solebat causa. Ut Pompeius non de Sertorio, sed de Hispanis triumphavit.[2])

Invidia senatus contra Mucianum inde exorta, quod hic litteris ad senatum missis imperium in manu sua fuisse donatumque Vespasiano iactaverat (cf. Dio LXVI, 2) in occulto, adulatio in aperto erat. Itaque Valerius Asiaticus[3]), consul designatus, ornamenta Muciano decernenda censuit. Ceteri senatores vultu manuque ut tum erat mos[4]), pauci compositis orationibus assentiebantur (Tac. hist. IV, 4). Illa autem Sarmatica expeditio, cuius sub praetextu triumphalia decreta sunt, quin eadem sit atque, qua a. 69 motus Dacorum teste Tacito (hist. III, 46) sexta legione (ib. II, 83) Mucianus repressit, dubitari vix potest.[5]) Consul I suff. ante annum 67[6]) fuit, consul II suff. a. 70[7]); consul III suff. a. 72.[8])

Ceterum Corbulonis expeditioni Armeniacae primae a 55 (Plin. n. h. V, 83. Tac. ann. XIII, 6) interfuit, Lyciam obtinuisse videtur a. 61 (Plin. n. h. XII, 9. XIII, 88. Brunn l. l. p. 9 sqq.).

---

[1]) cf. Borghes. opp. IV, p. 345 sq. Schüssler l. l. Teuffel: Pauly. R. E. IV, p. 1069 no. 37.

[2]) cf. Goell l. l. p. 20. Stolze l. l. p. 36.

[3]) vide supra part. I, c. V.

[4]) cf. Lange: r. Alt. II³ p. 410.

[5]) cf. Bekkeri adnot. ad T. hist. IV, 4.

[6]) v. Brunn: de C. Licinio Muc. (Lips. 1870) p. 12 sq.

[7]) v. Brunn: p. 14 sq.

[8]) v. Brunn: p. 16 sq.

Syriae praeses a. 67—69 (Tac. hist. I, 10. V, 26. Plut. Oth. 4), Othonis partibus accessit (Tac. hist. I, 76) milites in verba Vespasiani adegit bellumque propriis opibus iuvit (ib. II, 76. 80. 84.), Romam ingressus urbi summa cum potentia praefuit (Tac. hist. II, 95. III, 49. IV, 11. 39. 49. 80. 85 cf. Dio LXV, 8—22. LXVI passim). Descriptionem morum habes apud Tacitum (hist. I, 10. II, 5. III, 8. 52 sq.). Quotiens voluptates expedierat, magnas virtutes probavit domi militiaeque. Idem composuit opus[1]) de regionibus ab ipso visitatis, quo Plinius Secundus in naturali historia est usus. (II, 102. 231. III, 5. 59. VIII, 3. 6. XII, 1. 9. XIII, 13. 88) et orationes liberae reipublicae contraxit (Tac. dial. 37), frater Arvalis[2]) fuisse videtur a. 70. Obiit exeunte anno 76 vel ineunte 77 (Plin. n. h. XXXII, 62) post colloquium in Taciti „dialogo" (c. 37) enarratum, quod a. 76 habitum esse statuit Urlichsius.[3])

§ 2. Jam disputemus de Tampio Flaviano, ad quem ex certa Mommseni coniectura referendus est titulus a. 1871 repertus atque ab eodem probabiliter, quoad eius fieri potest, restitutus:

CIL. X, 6225 FVNDIS.

. . . . tampio fLAVIano
coS. PRO. COS. Prov
africae leg. auG. PRO. PR. PANNo
niARVM.
huic triuMPHALIA. ORNAMENta
OPSIDIBVS. A. TRANSdanu
vianis acceptis limITIBVS. OMNIBVS. EXploratis?
hostibus ad vectigALIA. PRAESTANDA adactis
TAMPIVS. RVFVS.

Legatus igitur Aug. pr. pr. Pannoniarum fuit secundum inscriptionem et a. 69 teste Tacito, qui unus ex scriptoribus mentionem eius inicit, Tampius Flavianus, dives senex, Pannoniam consularis rexit. Juncti Moesici ac Pannonici exercitus Dalmati-

---

[1]) cf. Brunn p. 18—45. Teuffel: r. Littgesch. § 314 adn. 1.

[2]) cf. Henzen act. fr. Arv. p. 190.

[3]) Festgruß der philol. Gesellschaft zu Würzburg an die XXVI. Vers. deutsch. Philol. (Würzburg 1868) p. 1 sqq.

cum militem traxerunt ad Vespasiani partes legatis nihil turbantibus (Tac. hist. II, 86. V, 26). Natura ac senecta cunctantior suspiciones militum inritabat ut coniunctus affinitate cum Vitellio. Coeptante legionum motu profugus Pannonia decessit, sed rerum novarum cupidine nomen legati resumere et misceri civilibus armis impulsus est suadente Cornelio Fusco procuratore, ut consulare nomen surgentibus partibus „honesta specie praetenderetur“ (Tac. hist. III, 4). Sed iam pridem propinquus Vitellii militibus invisus vix iram eorum vana formidine exortam effugit. Nocte profugus discrimini exemptus est (Tac. hist. III, 10). Haud dubie a. 69 eas res gessit, propter quas ornamenta triumphalia senatus decrevit. Namque sub Vespasiano triumphalia Tampium meruisse et ex titulo et inde patet, quod, si antea sub Othone vel potius sub Vitellio propinquo suo accepisset, Tacitus hunc honorem vix omisisset, cum praesertim divitias, senectutem, consulare nomen eius memoret non sine causa.

Consulatum II gessit una cum M. Pompeio Silvano consule II (Bullet. arch. 1862 p. 217), i. e. ante annum 79 (C. I. L. IV, 2560) et post annum 74. Quocum optime convenit, quod Flavianus proconsul Africae invenitur apud Plinium (n. h. IX, 8, 26). Qui cum a. 79 vita decesserit (Plin. ep. VI, 16, 20. Sueton. ed Reiffersch. p. 92 sq.) Flavianus ante annum 79 proconsul Africae fuerit necesse est. Triumphalia consularis accepit neque auctore Vespasiano decreta[1]) sunt. Idem sine dubio L.[2]) Tampius Flavianus in locum Galbae IV K. Mart. a. 69 frater Arvalis cooptatus est (Henzen act. fr. Arv. p. XLII, 199). Ab eodem nomen accepit ala I Pannoniorum Tampiana.[3])

§ 3. Ti. Plautium Silvanum Aelianum[4]) in praefectura urbis ornamentis triumphalibus honoratum esse auctore imperatore Vespasiano testis est titulus qui exstat in Plautiorum sepulcro inter a. 74 et 79 positus:

---

[1]) vide supra part. I, c. V.

[2]) praenomen Tampii non exstat nisi in actis fr. Arv.

[3]) C. I. L. III, 5531. 5632. p. 864, XXI. cf. ann. inst. arch. 1855 p. 28.

[4]) cuius de vita cf. Henzen: ann. inst. arch. 1859 p. 5 sqq. Wilm. exempl. no. 1145. Waddington fastes I, p. 130.

Orelli 750 = Wilm. Ex. 1145. Ponte Lucano (prope Tibur)

TI. PLAVTIO . M. F. An. | SILVANO . AELIANO | PONTIF . SODAL . AVG | III VIR . A . A . A . F . F . Q. TI . CAESARIS | LEGAT . LEG . V . IN GERMANIA | PR . VRB . LEGAT . ET . COMITI . CLAVD | CAESARIS . IN BRITANNIA . CONSVLI | PROCOS . ASIAE . LEGAT . PROPRAET . MOESIAE | IN QVA . PLVRA . QVAM . CENTVM . MILL | EX NVMERO . TRANSDANVVIANOR | AD PRAESTANDA . TRIBVTA . CVM CONIVGIB | AC . LIBERIS . ET . PRINCIPIB . AVT . REGIBVS . SVIS | TRANSDVXIT . MOTVM . ORIENTEM . SARMATAR | COMPRESSIT . QVAMVIS . PARTE . MAGNA . EXERCITVS . AD EXPEDITIONEM . IN ARMENIAM . MISISSET | IGNOTOS ANTE . AVT . INFENSOS . P . R . REGES . SIGNA | ROMANA . ADORATVROS . IN RIPAM . QVAM . TVEBATVR | PERDVXIT . REGIBVS | BASTARNARVM . ET | RHOXOLANORVM . FILIOS . DACORVM . FRATRVM | CAPTOS . AVT . HOSTIBVS . EREPTOS . REMISIT . AB | ALIQVIS . EORVM OPSIDES . ACCEPIT . PER QVEM . PACEM | PROVINCIAE . ET . CONFIRMAVIT . ET . PROTVLIT | SCYTHARVM . QVOQVE . REGEM . ACHERONENSI | QVAE . EST VLTRA . BORVSTHENEM . OPSIDIONE SVMMOTO | PRIMVS . EX EA . PROVINCIA . MAGNO . TRITICI . MODO | ANNONAM . P . R . AD . LEVAVIT . HVNC . LEGATVM . IN | IN (sic) HISPANIAM . AD PRAEFECTVR . VRBIS . REMISSVM | SENATVS . IN PRAEFECTVRA TRIVMPHALIBVS | ORNAMENTIS . HONORAVIT . AVCTORE . IMP . | CAESARE AVGVSTO VESPASIANO . VERBIS . EX | ORATIONE . EIVS Q . I . S. S |

MOESIAE . ITA . PRAEFVIT . VT . NON . DEBVERIT . IN | ME DIFFERRI . HONOR . TRIVMPHALIVM . EIVS | ORNAMENTORVM . NISI QVOD . LATIOR . EI | CONTIGIT . MORA . TITVLVS PRAEFECTO . VRBIS |

HVNC . IN EADEM . PRAEFECTVRA . VRBIS . IMP . CAESAR | AVG . VESPASIANVS . ITERVM . COS . FECIT .

Praefectura urbis inde ab anno 73 functus est et consul II suffectus in locum Vespasiani ab ineunti mense Januario ad Kalendas Maias a. 74 fuit. Itaque, si quid valet ordo honorum, qui est in inscriptione, certe non post mensem Aprilem a. 74, sed summa cum veritatis specie putaverim a. 73 triumphalia eum adeptum esse propter praefecturam urbis bene administratam virtutemque militarem iam sub imperatoribus antecedentibus pro-

batam. Cursus honorum eius hic fere fuit: deinceps triumvir fuit monetalis, quaestor Tiberii, legatus legionis V Alaudae in Germania[1]), praetor urbanus. Utrum re vera post quaesturam statim ad praeturam evectus an errore quadratarii munere suo neglegentissime, imprimis versibus 10. 14. 16. 18. 21[2]), functi tribunatus plebis aut aedilitas praetermissa sit, non constat. Tum legatus et comes Claudii in Britannia a. 43—44, consul I suff. a. 45, proconsul Asiae sub Nerone anno fere 55[3]) (cf. titulum Tiburt. et inscriptionem Trallianam ap. Waddingt. fast. I, p. 130) fuit, legatus Aug. pr. pr. Moesiam inter a. 58 et 69 (cf. Tac. hist. III, 75. I, 79), haud dubie a. 62, ut concludit ex loco Taciti (ann. XV, 6) cum tituli versibus 8—9 collato Henzenus[4]), non sine gloria obtinuit, a. 70 XI K. Jul. pontificis munere Romae functus est teste Tacito (hist. IV, 53) in sacrando spatio, quod templo Jovis Capitolini dicabatur. Paullo post — a. 71 vel 72 — Hispaniae praefuit, unde non ita multo post Romam ad praefecturam suscipiendam rediit, annoque 74 fasces iterum gessit. Vita decessit regnante Vespasiano, quoniam imperator in titulo Tiburtino „divus“ non appellatur.

§ 4. Proxime sequitur Cn. Pinarius Cornelius Clemens, ut efficitur titulo ab Henzeno in hanc formam optime restituto:

Henzen 5427 (= Wilm. Ex. I, 1142). HISPELLI. (Umbr.)

CN . PINARIVS . L . F . PAP . CORnelius . clemens . cos . Aug . | LEGAT . PROPR . EXERCITVS QVI . est . in Germania sup . cur . aedium | SACRARVM LOCORVMQ . PVBLicor . honoratus . a senatu | TRIVMPHALIBVS . ORNAMENTis . auctore . Imp . Caes . Vespasiano . Aug . ob res | IN GERMANia . prospere . gestas.

---

[1]) cf. Henzen: ann. inst. arch. 1859 p. 25.

[2]) scribendum erat versu 10: partem magnam; 14: fratres; 16: per quos; 18: rege; 21: in Hispania.

[3]) cf. Henzen l. l. p. 15 sq. Wilmanns. l. l. Certe fuit proconsul post M. Junium Silanum, consulem a. 46, proconsulem Asiae a. 54 (Tac. ann. XIII, 1).

[4]) l. l. p. 16, idem sentit Waddington l. l., cum Borghesium secutus Wilmannsius l. l. tituli versus 8—9 ad annum 56 referat, cui tamen opinioni obstant Taciti histor. loci laudati.

In versu secundo „exercitus, qui est in Africa", id quod proposuit Borghesius[1]) restituendum non esse, sed „in Germania," quod primus Henzenus collato titulo no. 6501 collectionis ipsius coniecit, nunc confirmatur duobus titulis (Henz. 5256 cf. Allmer-Terrebasse: inscriptions de Vienne en Dauphiné I (Vienne 1875) p. 42—51. Henz. 5418 = C. I. L. III, dipl. mil. IX) postea inventis, in quibus Cn. Pinarius Cornelius Clemens Vespasiano consule V (i. e. a. 74) legatus eius pr. pr. exercitus Germanici superioris dicitur. Eodem igitur anno ex auctoritate Vespasiani inter Viennenses et Ceutronas terminavit[2]) (Henz. 5256) et ob res in Germania prospere gestas[3]) auctore imperatore Vespasiano ornamenta triumphalia accepit sine dubio consularis. Ceterum augurem, curatorem aedium sacrarum locorumque publicorum[4]) eundem fuisse ex uno titulo supra posito discimus.

§ 5. M. Ulpius Traianus[5]), pater imperatoris, legatus legionis X Fretensis sub Vespasiano duce bello Judaico interfuit expugnationi imprimis Japhae mense Junio a. 67 (Joseph. bell. Jud. III, 7, 31), Tarichiae mense Septembri (ib. III, 10, 10); mense Junio a. 68 legionem suam cum Vespasiani copiis in campo Hierichontis urbis coniunxit (ib. IV, 8, 1), post haec a Josepho non commemoratur ea nimirum de causa, quod Romae fine anni 68 consulatu functus est, ut demonstravit Stobbius.[6])

Legatus consularis Syriae a. 125 aerae imperatoriae Antiochensis i. e. a. 76—77 p. Chr. (cf. nummum ap. Waddingt.) fuit bellumque ibi contra Parthos, quo filius quoque virtutem probavit (Plin. Paneg. 14) bene gessit. Ibi virtute filii triumphalia ornamenta meruit (Plin. Paneg. 89) a. 77. Itaque Traianus imperator triumphali patre genitus appellatur (Plin. Paneg. 9). Denique Asiam pro consule administravit a. 79 — 80 secundum

---

[1]) opp. VI, 479 sqq.

[2]) cf. Zippel l. l. p. 290 sq.

[3]) cf. Borghes. opp. V, 30.

[4]) cf. Borghes. opp. IV, 153.

[5]) cf. Waddingt. fastes I, no. 100. Eckhel D. N. VI, p. 433 sq.

[6]) Philol. XXXI, 2. Philol. Anzeiger 1870 p. 259, adstipulantur Henzenus (eph. ep. I, p. 188 adn. 2. Kleinius ad a. 68. cf. Waddingt. fast. I p. 153.

inscriptionem Laodiceae Phrygiae paullo post Vespasianum mortuum exaratam a. 79 (C. I. Gr. 3935 cf. 3146). Non ante annum 112 inter divos relatus est. (C. I. L. VIII, 8316).

§ 6. Quinque igitur, ut summam complectamur, viri sub Vespasiano ornamentis triumphalibus honorati innotuerunt, quorum tres ob res bello externo bene gestas, quartus bello civili, quintus virtute domi militiaeque probata meruerunt. Ti. Plautio Silvano et Cn. Pinario auctore imperatore, Licinio Muciano et Tampio Flaviano auctore quovis alio senatore decreta sunt, de uno Traiano non liquet. Omnes illi consulares erant, cum ornamenta adipiscerentur.

Num sub Tito triumphalia ornamenta cuiquam decreta sint, ignoratur (cf. part. II, c. VI, § 1).

Cap. VI.

De ornamentis triumphalibus sub Domitiano decretis.

§ 1. Domitiano regnante quoties ornamenta triumphalia decreta sint, nusquam indicatur, a Domitiano autem hunc usum servatum esse docet unum quod exstat exemplum Cn. Julii Agricolae[1]), cui ornamenta triumphalia et illustris statuae honorem et quidquid pro triumpho daretur, multo verborum honore cumulata decerni in senatu Domitianum iussisse Tacitus (Agr. 40. 44) testatur. Iam oritur quaestio, quonam anno acceperit insignia. Ac primum quidem abiciendum est, quod Dio (LXVI, 20) hac de re tradit: „ἐσφάγη διὰ ταῦτα ὑπὸ Δομιτιανοῦ καίπερ τὰς ἐπινικίους τιμὰς παρὰ τοῦ Τίτου λαβών.“ An vero putamus ornamenta triumphalia a Tito tributa impedimento esse potuisse, ne Domitianus Agricolam inter-

---

[1]) de vita Agricolae vide praeter Taciti librum commentationem Urlichsii: de vita et honoribus Julii Agricolae (Wirceburgi 1868).

ficeret? Non credo. Immo aut Cassius Dio ipse falsus est aut is, quo nititur, aut vetus corruptela statuenda, id quod sine difficultate coniecerim, ita ut verba παρὰ τοῦ ΤΙΤΟΥ in παρὰ τοῦ ΑΥΤΟΥ corrigenda sint. Accedit, quod, a quo imperatore triumphalia socer acceperit, Tacitus non potuit nescire.

Agricola, postquam a. 77 consul suff. fuit, in Britannia provincia Julio Frontino successit (Tac. Agr. 17) atque a. 78 eo profectus esse putandus est.[1]) Septimi[2]) anni i. e. anni 84 exacta iam aestate victoria ad montem Graupium reportata ingenti bello defunctus est (Agr. c. 38) et exercitum in hibernis locavit. Hunc rerum cursum Domitianus, quem non praeteribat irrisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum a. 84 actum[3]), cum accepisset, odio, quia Agricola, militibus gratus, etiam tum Britanniam obtinebat, represso triumphalia ornamenta decerni in senatu iussit (Agr. 40) eodem videlicet anno, quo pugna erat commissa i. e. a. 84[4]) addique iussit insuper opinionem Syriam provinciam Agricolae destinari vacuam tum morte Atilii Rufi consularis. Rufus autem quo tempore diem obierit si certo testimonio constaret[5])ne tenuissimus quidem de tempore, quo Agricola provinciam ingressus est

---

[1]) hanc opinionem a Borghesio (opp. III, 188. cf. VI, 477. C. I. L. VI, 2016) prolatam Urlichsius (l. l. p. 25), Hübnerus (Rh. Mus. XII, p. 49 sqq., Hermes XVI, p. 542—544), Violetus (l. l. p. 162 sqq.) iure defenderunt; idem sentit Waddington (fast. I, p. 159). Vide Dederich: Zeitschr. f. Altertumswissenschaft 1839 No. 105—107.

[2]) Singulos annos, quibus Agricola ibi bellum gessit, accurate distinguit Tacitus (Agr. 18. 20. 22. 23. 24. 25. 28—29. 33.) Capite 33 ex certa Nipperdei coniectura (Rh. Mus. XIX, p. 106) legendum est: septimus annus est, commilitones, ex quo virtute vestra, auspiciis imperii Romani, fide atque opera nostra Britanniam vicistis. cf. Tac. Agr. edit. Wex. (Brunsvig. 1852) et Draeger. (Leipz. 1879[3]) ad Agr. 29. Violet l. l. p. 229.

[3]) de triumpho Domitiani vide Suet. Dom. 6. 13. Tac. Germ. 37. Eutrop VII, 23. Oros. VII, 10. Orelli I, No. 521.

[4]) Imm. Bekker in editione (Lips. 1831) hoc decretum ad annum 85 refert, quamquam initium sequentis anni a Tacito nusquam indicatur.

[5]) cf. Waddington l. l. I, p. 166 No. 108.

ac reliquit, scrupulus residere posset. Sed expresso testimonio destitutis acquiescendum nobis erit in anno 84. Agricolae igitur legato Aug. pr. pr. fine anni 84 propter diutinum bellum nobilissima pugna confectum auctore imperatore ornamenta triumphalia a senatu decreta sunt.

Ex hoc uno exemplo de ratione in ornamentis triumphalibus decernendis Domitiani aetate adhibita, si quis praeter Agricolam accepit, iudicium ferre dubito.

§ 2. Sub Domitiano Vestricius Spurinna quoque ornamenta videtur accepisse, haud dubie accepit, antequam statua triumphali honoratus est.[1])

Scripsit ad eum Plinius epistolas (III, 10. V, 17). A. 69 dux Othonis legatus legionis, ut videtur, adversus Vitellianos (Tac. hist. II, 11. 18. 23. 36. Plut. Oth. 5. 6. 7) fuit, consul bis vel ter[2]), Romae moratur anno 96 exeunte (Plin. ep. I, 5, 8—9). Ei legato imperatoris Nervae Germaniae inferioris, quod Bructerum regem vi et armis induxit in regnum, auctore principe a senatu statua triumphalis decernitur a. 97, si quidem epistolam Plinii II, 7 (cf. III, 10) a. 97 sub Nerva neque sub Traiano conscriptam esse Mommsenus[3]) (ind. Plin. p. 429, Hermes III, p. 39 sqq.) coll. Tac. Germ. c. 33 recte docuit. Filium amittit (Plin. ep. II, 7, 3, 4, 6. III, 10). Senex septuaginta sex annorum dicitur in Plinii epistola III, 1, 10. Carmina Spurinnae et studia commemorantur eiusque negotia quotidiana explicantur apud Plinium (ep. III, 1, 7. IV, 27. V, 17). Quae feruntur eius, spuria sunt (cf. Riese: anthol. lat. II, p. 336 sqq. Teuffel: Littg. § 323, 5).

---

[1]) vide supra part. I, c. IV.

[2]) a. 100 Spurinnam Mommsenus (Hermes III, p. 40), Corellium Rufum Asbachius (Rh. Mus. XXXVI, p. 43) consulem III fuisse Plinii loco (Paneg. 61) concludit.

[3]) cf. Gemoll: de temporum ratione in Plinii epistularum IX libris observata (Halis 1872), p. 12.

Num sub Nerva ornamenta triumphalia tributa sint, ignoratur. Statuas triumphales illis temporibus iis quoque, qui nunquam in acie steterint, decretas esse testatur Plinius (ep. II, 7).

Cap. VII.

De ornamentis triumphalibus sub Traiano et Hadriano decretis.

§ 1. Sub imperio Traiani L. Licinius Sergius Sura[1]) ornamenta triumphalia adeptus est auctore imperatore Traiano, ut edocemur duobus titulis[2]), quos Borghesius[3]) Lipsii coniecturam secutus ad unum Suram convenire inde potissimum conclusit, quod dicitur sub eodem duce legatus pr. pr. nec legione nec provincia adiecta.

C. I. L. VI, 1444. ROMAE.
L. Licinio L. f. Serg. Surae cos. . . . | . . . . . . cum? | IMP . CAESAR NERVA TRAIANus Aug. Germanicus | DACICVS . GENTEM . DACOR. ET . REGEM . DECEBALVM . | BELLO . SVPERAVIT . SVB . EODEM DVCE . LEG . PRO PR . AB | EODEM . DONATO . HASTIS . PVRIS . VIII . VEXILLIS . VIII | CORONIS . MVRALIB . II . VALLARIBVS . II . CLASSICIS . II | AVRATIS . II . LEG . PRO . PR . PROVINCIAE . BELGICAE . LEG . LEG . I . | MINERVIAE . CANDIDATO . CAESARIS . IN PRAETVRA |ET . IN TRIBVNATV . PLEB . QVAESTORI . PROVINCIAE | ACHAIAE . IIII . VIRO . VIARVM . CVRANDARVM | HVIC . SENATVS . AVCTORE . IMP . TRAIANO . AVG | GERMANICO . DACICO . TRIVMPHALIA . ORNAMENT. | DECREVIT . STATVAMQ . PECVN . PVBLIC . PONEND . CENSVIT |

---

[1]) cf. Momms. ind. Plin. p. 417.

[2]) quorum alter est fragmentum basis statuae in Caelio monte Romae repertum, alter exstat Barcinone.

[3]) annali inst. arch. 1846 p. 343—346 = opp. V. p. 32—35.

C. I. L. II, 4508. BARCINONE (Hispan. Tarracon).
. . . . pontifex . sodalis . aug[ustalis] . . . . |
[adeptus? . . . . . . t]riumphalia ornamenta et sta[tuam . . . .

Legatus enim pr. pr. sub Traiano bello Dacico utrique interfuit, egit de pace cum Decebalo teste Dione (LXVIII, 9), in triumphis utriusque belli donis militaribus donatus est, quod ob expeditiones singulas quattuor hastis, quattuor vexillis, quattuor coronis plura non dantur.[1]) Utrum bello Dacico[2]) priore (a. 101—102) an altero (a. 105—107) triumphalia adeptus sit, diiudicare non ausim, haud dubie ob virtutem ibi spectatam triumphi anno accepit i. e. fine anni 102[3]) vel mensis Januarii a. 103 diebus primis aut a. 107.[4]) Consul suff. primum antea fuit anno incerto, iterum ordinarius a. 102, tertium ordinarius a. 107. Oriundus est ex Hispania Tarraconensi (C. I. L. II, 4282. 4508. 4536—4548, Martial. I, 49, 40); litteras ad eum misit Plinius (ep. IV, 30. VII, 27). Cursum honorum habes in inscriptione statuae, quam statim post mortem a. 107 collato Dione Cassio (LXVIII, 15) ei dedicatam esse coniecerim, ita compositum, ut post consulatum et sacerdotia — pontifex, sodalis Augustalis dicitur in inscriptione minore supra allata — primis versibus memorata magistratus ceteri ab eo administrati inverso ordine numerentur et ultimo loco summi honores: ornamenta triumphalia et statua pecunia publica exstructa ponantur. Haec autem statua haud scio an post mortem teste Dione (LXVIII, 15) decreta intellegenda sit.[5]) Studio Surae eiusdem Traianus imperator est factus (Aur. Vict. ep. XIII, 6), Traiano orationes scribit (Julian. Caes. p. 327 Spanh. cf. vit. Hadr. 3, Martial[6]) I, 49) favet Martiali (Mart. VI, 64, 13. VII, 47), Hadriano (vit. Hadr. 2. 3). Balneum, quod vocabatur Surae ab hoc est aedificatum (Dio LXVIII, 15. cf. Aur. Vict. Caes. XIII, 8.

---

[1]) cf. Wilmanns. exempl. I, No. 635. Henzen: annali inst. arch. 1860, p. 205 sqq.

[2]) cf. Mommsen: Hermes III, p. 130 sq.

[3]) Dio LXVIII, 10, 2 cf. Schiller: Kaisergesch. I, 2 p. 552.

[4]) Wilmanns. exempl. No. 1585. cf. Bullet. arch. 1868 p. 192.

[5]) vide supra part. I, cap. IV.

[6]) cf. Giese: de person. Mart. p. 20.

ep. XIII, 6). Traditur fuisse dives, gloriae cupidus, Traiano deditus (Dio LXVIII, 15), orator celeberrimus (Martial. I, 49) in rebus naturalibus esse versatus (Plin. l. l.).

§ 2. Praeter Licinium Suram tum A. Cornelius Palma triumphalia est adeptus, si quidem recte Borghesius[1]) titulum Romae exstantem sub statua Palmae fuisse coniecit hunc:

C. I. L. VI, 1386 ROMAE.

POTES
SENATVS SVPPLICATIONES DIS IMMORTALIB . . . . . . M. AuCtore | IMP. CAES. NERVA. TRAIANO. AVG. GERM. DACIC. SENATVS. ORNAMENT | TRIVMPHAL. DECR. STATVAMQ. IN. FORO. AVG. PONENDAM. CENSVIT.

Cuius versus 2 Mommseno (C. I. L. VI, 1386, res gest. d. Aug. p. 169) sic explendus videtur: „supplicationes dis immortalib(us) i[psi aute]m a[u]c[tore]“ ea de causa, quod idem fere in titulo Sulpicii Quirinii legitur. Itaque ego quoque Mommseni opinionem praeferendam censeo Borghesii opinioni, qui supplevit: „immortalibus dierum . . auctore“. Titulum, quia incisus sit inter annum 103, quo Traianus Dacici (vide Schiller: Kaisergesch. I, 2 p. 552 adn. 2 quique ibi laudantur) nomen, et 114, quo „Optimi“ sumpsit (Eckhel VI, p. 430. 459) haud inepte Borghesius coniecit referendum esse ad ducem supplicationes ac triumphalia aut bello Dacico altero aut Arabico eadem aetate gesto adeptum. Dacico autem gerendo cum Traianus ipse praefuerit, nihil aliud relinqui quam ut decreta sint ob bellum Arabicum confectum. Neque res a Palma a. 105—106 gestas (cf. Schiller: Kaisergesch. I, 2 p. 554 quique ibi laudantur) quem legatum pr. pr. Syriae alterius belli Dacici temporibus Arabiam Petraeam in formam provinciae redegisse Dio (LXVIII, 14) testatur, tanto honore dignas fuisse quisquam negaverit. Quare, quamquam statua a Dione (LXVIII, 16) memorata, qua non parum nititur Borghesius, triumphalis num intellegi debeat valde dubito[2]), titulum probabiliter ad Palmam a Borghesio relatum esse mihi quoque persuasi.

Consul I fuit a. 99, legatus Aug. pr. pr. Hispaniae Tarraco-

---

[1]) annali inst. arch. 1846. p. 341—342 = opp. V, p. 31—32.

[2]) vide supra part. I, c. IV.

nensis a. 100[1]) (Martial. XII, 9), consul II a. 109; initio imperii Hadriani infensi, cui in venatione insidias parasse dicebatur, interemptus est (Dio LXIX, 2. Ael. Spart. 4. 47).

§ 3. T. Haterius Nepos Atinas Probus Publicius Matenianus, utrum sub Traiano an Hadriano imperatore, qui et ipse hunc usum retinuit[2]), ornamenta triumphalia acceperit, statui nequit neque causa honoris ei tributi inveniri potest. Accepit haud dubie, ut titulo eius a Borghesio[3]) tractato edocemur:

Borghesi: Annali inst. arch. 1846 p. 312 = opp. V, p. 3.

FVLGINII.

T. HATERIO NEPOTI. | ATINATI PROBO | PVBLICIO MATENIANO | COS. PONTIF TRIVMPHALIB | . . . .

Utrum triumphalia adeptus sit auctore imperatore necne ex titulo concludi non potest, quare nescio, quo iure Wilmannsius[4]): „ornamentis honorato ab imp.“ restituerit.

Consul suff. fuit anno incerto[5]), commemoratur idem T. Haterius Nepos in actis fratrum Arvalium annorum 118 et 120 eorumque magister fuit a. 121[6]), fortasse frater eius, ad quem pertinet titulus gemellus.[7]) Neque audaciae me argui posse puto, si Haterio ornamenta obtigisse consulari ob res armis bene gestas pono, cum pristina dignitas, qualis fuit Augusti temporibus, ornamentis triumphalibus a Vespasiano reddita esse videatur.

§ 4. Restat, ut de Sex. Minicio Faustino Julio Sergio Severo dicamus.

Cui ornamenta auctore imperatore Hadriano ob res in Judaea

---

[1]) cf. Giese: de personis Martial. p. 12.

[2]) cf. Richter l. l. p. 23. Wilmanns. exempl. 1249 a. Mommsen: r. Str. I[2] p. 450.

[3]) ann. inst. arch. 1846 p. 312, 334—336 = opp. V, 324—325.

[4]) exempl. I, 1249 a.

[5]) diversus est a T. Haterio Nepote cos. a. 134, legato Pannoniae superioris a. 138 (C. I. L. III, privil. vet. XXXIV. XXXVI cf. Bull. arch. 1857 p. 17. Henzen: act. fr. Arv. p. 188.

[6]) cf. Henzen: scavi nel bosco dei fratr. Arv. 1868 p. 65 sqq.

[7]) Henzen l. l. Wilm. exempl. 1249 b.

prospere gestas, postquam a. 127 consul fuit, decreta esse satis docet titulus[1]) ante mortem Hadriani exaratus:

C. I. L. III, 2830 cum additam. p. 1059. Kistagne.

[Sex] Minicio Faustino [C?] J[uli]o [C. f]il Serg. Severo [v(iro) c(larissimo) se]v[iro] t[u]rma[e] V eq(uitum) [R(omanorum) I]III viro [v]iarum c[ura]nd[ar]um, XV viro [s(acris)] f(aciundis) [tr]ib(uno) m[il(itum) leg(ionis) X]III (vel XIIII) geminae, [q]uaestor(i) pro[vin]cia[e] Macedoniae [c]andida[t]o div[i Tr]ai(ani) [P]artici, trib(uno) p[le]b(ei) candidat[o ei]usdem, praetor(i), leg(ato) leg(ionis) XIIII gemin[ae, l]eg(ato) pr(o) pr(aetore) imp(eratoris) Traiani Hadria[n]i Aug(usti) p[r]ovincia[e] Dacia[e], co(n)s(uli), leg(ato) pr(o) p[r(aetore) provinciae Moesia[e] inferioris, leg(ato) pr(o) pr(aetore) provinciae Brittaniae, leg(ato) pr(o) pr(aetore) [pr]ovinciae Judeae, [leg]a(to) pr(o) pr(aetore) [provi]nciae Suriae. Huic [senatus a]uctore [Imp(eratore) Tra]iano Hadriano [Au]g(usto) ornamenta triu[mp]halia decrevit ob res in [Jud]ea prospere ge[st]as. [D(ecurionum)] d(ecreto).

Vir clarissimus secundum inscriptionem optime a Mommseno suppletam deinceps fuit VI vir turmae V equitum Romanorum quatuorvir viarum curandarum, quindecimvir sacris faciundis, tribunus militum legionis XIII vel XIIII geminae, quaestor provinciae Macedoniae, candidatus Traiani, tribunus plebei, candidatus eiusdem, praetor, legatus legionis XIIII geminae, legatus Hadriani Augusti pr. pr. Daciae, consul suff. a. 127, legatus Aug. pr. pr. Moesiae inferioris probabiliter a. 128, annis 129—132 obtinuit Britanniam (Hübner: Rh. Mus. XII, p. 58). Inde idem dux insignis teste Dione (LXIX, 13. 14) statim contra Judaeos ab Hadriano missus seditionem eorum opprimere iussus est exeunte anno 131 vel ineunte 132 (Euseb. a. 2150. Dio LXIX, 12. 13. cf. Julius Dürr: die Reisen des Kaisers Hadrian p. 65 in Abhandl. des archäol.-epigr. Seminars der Univ. Wien, Heft II, 1881. Schiller: Kaisergesch. I, 2 p. 613) exortam ibique successit in locum Tinei Rufi[2]), legati pr. pr. Judaeae. Fine anni 133 vel initio

[1]) cf. Bulletino di archeologia e Storia Dalmata 1878 p. 120 sq.

[2]) ab hoc bellum Judaicum confectum esse fontes iudaici falso tradunt, vide Schiller l. l. p. 613 sq.

anni 134 seditionis maximam partem[1]) exstinctam fuisse opera Severi epistola docet ad senatum missa Hadriani, qui, postquam bello ipse interfuit, mense Maio anni 134 iam Romae versaretur (C. I. Gr. 5906). Eademque in epistola, ut senatus ornamenta triumphalia ob res in Judaea prospere gestas Julio Severo decerneret, Hadrianum auctorem exstitisse coniecerim. A. 134 Syriae eum praefuisse verisimillimum videtur. Seiungendus est a Ti. Severo, qui initio seditionis Judaeorum in locum Publicii Marcelli, legati pr. pr. Syriae, successit[2]) et exeunte anno 133 vel ineunte 134 corrector et logista ab Hadriano in Bithyniam provinciam missus est[3]): Hunc epitomator Dionis (LXIX, 14, 4) haud dubie cum Julio Severo confudit[4]) nec minus perperam ad Julium Severum Borghesius[5]) rettulit titulum Aequensem (C. I. L. III, 2732), ut cursus honorum inscriptionis supra positae satis docet.

Praeterea virorum ornamentis triumphalibus honoratorum neque in inscriptionibus neque apud scriptores ulla fit mentio: unde Schillerus[6]) post Severum nemini hunc honorem contigisse nimis propere conclusit. Nimirum inde a Traiani temporibus omnibus consulibus habitu triumphali concesso, quo in ineundo magistratu et diebus festis uterentur, ornamenta triumphalia privilegium ducum esse desierunt ac priorem amiserunt significationem (cf. Goell. l. l. p. 43. Lange: r. Alt. I^3, p. 742. Marquardt: r.

---

[1]) Confectum est bellum fine anni 134 (Euseb. a. 2150) vel initio anni 135 (C. I. L. VI, 974. Henz. 5457. Dürr l. l. p. 65 adn. 368).

[2]) Euseb.-Hieron. p. 167 a. 2148. Euseb. H. e. IV, 6, 1—3. C. I. Gr. 4033.

[3]) C. I. Gr. 4033. 4034.

[4]) cf. Borghes. opp. III, 119. IV, 165—168 cum adn. Momms., V, 411 sqq. Henzen: ann. inst. arch. 1851 p. 30. Zumpt: comm. ep. II (1854) p. 11—14. Hübner: Rh. Mus. XII (1857), p. 58 sq. Mommsen ad C. I. L. III, 2830. Waddington: mém. sur la chronologie du rheteur Aristide p. 1 et in Borghes. opp. V, p. 413 adn. 1.

[5]) opp. IV, 169.

[6]) Gesch. d. r. Kaiserzeit I, 2 p. 615.

Stverw. II, p. 573. Mommsen: r. Str. I, p. 399 sqq. 594). Itaque posterioribus temporibus ornamentorum triumphalium loco ducibus decretae occurrunt statuae inter triumphales[1]) et statuae alicubi, uti in foro Traiani, ponendae.[2])

Quoniam quaestionem a nobis susceptam ad finem perduximus, restat, ut eorum, quae indagavimus, brevem conspectum tabula adiecta proponamus.

---

[1]) Trebell. Poll. trig. tyr. c. 21. — Septimio Severo post mortem duo triumphales statuae decernuntur (Jul. Capitol. vit. Opilii Macr. c. 6).

[2]) C. I. L. VI, 1540. 1549. 1566. 1599. cf. Borghes.: ann. inst. arch. 1846, p. 347—349 = opp. V, 36—38.

Ornamenta triumphalia acceperunt

sub Augusto:

1. Tiberius.	12 a. Chr.	auctore imperatore (?)	ob virtutem bello probatam.	consularis.
2. Drusus, pater Claudii imp.	11 a. Chr.	non liquet.		consularis non fuit.
3. Tiberius iterum.	11 a. Chr.	non liquet.		consularis.
4. L. Calpurnius, L. f. Piso Frugi pontifex.	11 a. Chr.	non liquet.		consularis.
5. P. Sulpicius, P. f., Quirinius.	3-2 a. Chr.	imperator auctor non exstitit.		consularis.
6. L. Domitius, Cn. f. L. n., Ahenobarbus.	12-2 a. Chr.	non liquet.		consularis.
7. M. Vinicius, P. f.	1-4 p. Chr. (4 p. Chr.?)	non liquet.		consularis.
8. L. Passienus Rufus.	3 a. Chr.-5 p. Chr. (5 p. Chr.?)	non liquet.		consularis.
9. C. Sentius, C. f. C. n. Saturninus.	6 p. Chr.	non liquet.		consularis.
10. Cossus Cornelius, Cn. f. Lentulus Gaetulicus.	6 p. Chr.	non liquet.		consularis.
11. Cn. Cornelius, L. f., Lentulus.	6 p. Chr. (?)	non liquet.		consularis.
12. M. Valerius, M. f., Corvinus Messalla sive Messalinus.	6 p. Chr. aut 9 p. Chr.	imperator auctor non exstitit.		consularis.

13. M. Aemilius, L. Aemilii Pauli f., L. n. Lepidus.	9 p. Chr.	imperator auctor non exstitit.	ob virtutem bello probatam	consularis.
14. M. Plautius, M. f. A. n. Silvanus.	9 p. Chr.	imperator auctor non exstitit.		consularis.
15. C. Vibius, C. f. C. n. Postumus.	9 p. Chr.	imperator auctor non exstitit.		consularis.
16. Germanicus.	9 p. Chr.	imperator auctor non exstitit.		consularis non fuit.

Sub Tiberio.

1. A. Caecina Severus.	15.	non liquet.	ob virtutem bello probatam	consularis.
2. L. Apronius, C. f C. n.	15.	non liquet.		consularis.
3. C. Silius, P. f. P. n.	15.	non liquet.		consularis.
4. M. Furius, P. f. P. n. Camillus.	17.	imperator auctor non exstitit.		consularis.
5. Q. Junius Blaesus.	22.	auctore imperatore.		consularis.
6. C. Poppaeus, Q. f. Q. n. Sabinus.	26.	non liquet.		consularis.
7 sqq. Delatores.	14-37.	non liquet.	ob cives delatos.	?

Sub Claudio.

1. Claudius imperator.	41.	imperator auctor non exstitit.	ob res ab alio gestas.	consularis.
2. Cn. Hosidius Gela.	43 aut 44.	auctore imperatore.	ob virt. bello prob.	consularis non fuit.
3. M. Licinius Crassus Frugi: iterum.	43 aut 44.	auctore imperatore.	ob virtutem bello prob.	consularis.
4. Vespasianus.	43 aut 44.	auctore imperatore.	ob virt. bello prob.	consularis non fuit.
5. L. Junius Silanus.	43 aut 44.	auctore imperatore.	ut comes Claudii in Britannia.	consularis non fuit.

6. Galba.	47 (?).	non liquet.	ob virtutem bello probatam.	consularis.
7. Cn. Domitius Corbulo.	47.	non liquet.	ob virtutem in provincia bene probatam.	consularis.
8. Curtius Rufus	47.	auctore imperatore.	ob reclusum specus quaerendis venis argenti.	consularis.
9. Pomponius Secundus.	50.	non liquet.	ob virtutem bello prob.	consularis.
10. P. Ostorius Scapula.	51.	non liquet.	ob virt. bello prob.	consularis.

Sub Nerone.

1. P. Petronius Turpilianus.	65.	auctore imperatore.	ob sublatos Neronis inimicos.	consularis.
2. M. Cocceius Nerva.	65.	auctore imperatore.		consularis non fuit.
3. C. Sofonius Tigellinus.	65.	auctore imperatore.		consularis non fuit.
4. M. Aponius Saturninus.	66 aut 67 aut 68.	non liquet.	non liquet.	non liquet.

Sub Vespasiano.

1. C. Licinius Mucianus.	69.	imperator auctor non exst.	ob res bello civili gestas.	consularis.
2. L. Tampius Flavianus.	69.	imperator auctor non exst.	ob virt. bello prob.	
3. Ti. Plautius M. f. M. n. Silvanus.	73.	auctore imperatore.	ob virt. militiae domique prob.	

4. Cn. Pinarius, L. f. Cornelius Clemens.	74.	auctore imperatore.	ob virtutem bello prob.	consularis.
5. M. Ulpius Traianus, pater Traiani imp.	77.	non liquet.	ob virtutem bello prob.	consularis.

Sub Domitiano.

1. Cn. Julius Agricola.	84.	auctore imperatore.	ob virt. bello prob.	consularis.
2. Vestricius Spurinna fortasse sub Domitiano.	ante 97.	non liquet.	non liquet.	non liquet.

Sub Traiano.

1. L. Licinius, L. f. Sergius Sura.	102, aut 103 aut 107.	auctore imperatore.	ob virtutem bello prob.	consularis.
2. A. Cornelius Palma.	106.	auctore imperatore.	ob virt. bello prob.	consularis.
3. T. Haterius Nepos Atinas Probus Publicius Matenianus.	sub Traiano aut sub Hadriano.	non liquet.	ob virtutem bello probatam (?)	consularis (?)

Sub Hadriano.

(1) idem.				
(2) 1. Sex. Minicius Faustinus Julius Sergius Severus.	133 aut 134.	auctore imperatore.	ob virtutem bello prob.	consularis.

VITA.

Natus sum Selmar Peine Magdeburgi a. d. IX k. Octobr. anni h. s. LXI patre Alberto, cuius sicut fratris carissimi philologiae studiosi praematuram mortem magnopere doleo, matre Emma e gente Schnarr, quam superstitem qua decet pietate colo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus inde a tempore paschali anni 1871 gymnasium regium cathedrale Magdeburgense, quod floruit Georgio Wichert et Eugenio Briegleb deinceps directoribus, per novem annos frequentavi. Maturitatis testimonio instructus vernali tempore anni LXXX Heidelbergam me contuli, ubi universitatis Ruperto-Carolinae civis factus studiis philologicis et historicis operam navavi scholasque adii virorum illustrissimorum Erdmannsdörfferi et Wachsmuthii. Post sex menses Lipsiam profectus sum, ubi adhuc viros illustrissimos Biedermannum, Curtium, Ecksteinium, Gardthausenum, Heinzium, Hermannum, Hirzelium, Langium, Lipsium, Overbeckium, Ribbeckium, Voigtium, Zarnckium, docentes audivi.

Frequentavi proseminarium regium et seminarium regium philologicum per bina semestria, praeterea per terna sodalis fui ordinarius societatis philologicae Ribbeckii et seminarii regii historici, cui praesunt Meyerus et Gardthausenus, per duo antiquariae graecae Lipsii. Seminario regio paedagogico Ecksteinii quarto, societati antiquariae romanae Langii altero hoc semestri sodalis ordinarius intersum.

Praeceptoribus illis meis illustrissimis gratias ago quam maximas, longe vero plurimum debeo viris doctissimis, qui exercitationibus suis frui ut possem liberaliter concessere.